



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrùm, materia signata quantitate sit principium individuationis, sumpta quantitate non quatenus intrinsecè afficit materiam, sed solùm ut terminus connotatus per illam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

liter formaliter, metaphysice nego minorem, essentialiter materialiter, & entitative, concedo minorem; ad secundam probationem eiusdem minoris distinguo maiorem, per differentias essentielles formales concedo maiorem, materiales, nego maiorem; & ad argumentum inde deductum nego primam, & secundam consequentiam; probatio autem illius nullius momenti est, quia supponit falsum, scilicet quod individua distinguantur accidentaliter.

Ad quartum concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem illius nego maiorem.



QVÆSTIO III.

Verum materia signata quantitate sit principium individuationis, sumpta quantitate, non quatenus intrinsece afficit materiam, sed solum ut terminus connotatus per illam?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia celebris quidem inter Thomistas affirmat, principium individuationis esse materiam signatam sigillo quantitatis; hæc sententia tribuitur D. Thomæ 1. p. q. 1. art. 1. ad tertium, q. 50. art. 4. ad tertium, & q. 77. art. 1. & in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. quæstioncula 2. & opuscul. 29. & tract. de ente, & essentia, & integro opusculo de principio individuationis, & alibi sæpe, imo ubicumque de principio individuationis substantiarum agit, semper illud revo-care videtur in materiam signatam quantitate, quam sententiam clare, & expresse omnes Thomistæ sequuntur, diversis tamen explicationibus discrepantes circa intelligentiam huius signaturæ, inter omnes tamen expositiones plausibilior hoc tempore existit Caietani explicatio, qui ait, materiam signatam quantitate non includere quantitatem ipsam intrinsece, sed ut terminum habitudinis materiæ ad ipsam; est enim materia natura sua capax quantitatis, sed ut sic non potest esse completum principium individuationis, quia est indifferens ad quancunque quantitatem; si-cut ad quamvis formam, per actionem autem agentis præviā ad generationem determinatur ut sit capax huius quantitatis, & non alterius, & illa ut sic dicitur esse individuationis principium; per quantitatem autem intelligitur hoc loco, non solum mathematica quantitas, ut sic dicam, sed physica, id est physicis qualitatibus, & dispositionibus affecta; ita mentem Caietani enucleavit P. Franciscus Suarez. tom. 1. mer. disp. 5. de unitate individuali, sect. 3. §. Secunda expositio, quam sententiam hoc modo tradidit Caietanus, de ente, & essentia, cap. 2. quæst. 5. quæ displicuit eidem Caietano (inquit Suarez) 1. p. q. 29. art. 1. & ideo alium invenit dicendi modum, si tamen alius est; ait enim non materiam, ut est in potentia ad hanc quantitatem, sed potius ut virtute præhabentem hanc quantitatem, hoc est quatenus est radix, & fundamentum huius quantitatis esse principium

individuationis; verumtamen non satis intelligitur, quid his verbis distinctum à priori explicatione significetur; quia materia in sententia Caietani, & aliorum Thomistarum non præhabet quantitatem in genere causæ efficientis, sed ab extrinseco agente fit, vel resultat à forma; solum ergo potest illam præhabere in genere causæ materialis, hoc autem nihil aliud est, quam habere illam in potentia receptiva, sed quod idem est, habere potentiam ad illam; sicut materia ut præhabens formam nihil aliud esse potest, quam materia ut est in potentia ad illam, seu potius ut est potentia receptiva formæ, quia non aliter præhabet, quam in genere causæ materialis; idem ergo est in præsentem unum, ac alterum propter eandem omnino rationem: ergo omnia illa verba materia ut fundamentum, ut radix, ut causa eodem revolvuntur; quia materia non est fundamentum quantitatis, nisi materiale, & passivum, nec est radix, nisi ut primum subiectum, neque causa nisi materialis quæ consistit in ratione potentiæ receptivæ: ergo illis omnibus verbis nihil aliud subesse potest, nisi potentia ipsius materiæ ad recipiendam quantitatem.

Neotericus quidam his verbis mentem Caietani explicat: meritorum mihi videtur subtiliter attigisse Caietanum 1. p. quæst. 29. ubi per materiam signatam quantitate intelligendum monet, non materiam pro ut est subiectum susceptivum proximum quantitatis, quia hoc habet median-te forma, cum accidentia non in materia prima, sed in toto composito subiectentur, sed quatenus materia est radix quantitatis, fundamentumque ipsius, in priori naturæ ad illam, imo quatenus radicaliter, & virtualiter est ipsamet quantitas per virtutalem præcontinentiam eius; unde individuationem substantialem intrat quantitas formalis, tanquam terminus extrinsecus, causatus, & non tanquam intrinseca causa, & principium individuationis, quantitas vero pro ut radicaliter, & virtualiter præhabetur intra eandem individuationem substantialem est principium intrinsecum, & causa, quia nihil aliud est, quam ipsamet potentia materiæ substantialis identificata cum ipsa materia prima, pro ut est radix, & virtus causativa quantitatis, & consequenter pro ut connotat quantitatem ipsam formalem in sequenti signo naturæ habendam tanquam terminum suæ virtutis radicalis, & effectum ab illa originatum.

Probatur primo autoritate Aristotelis lib. 3. 4. met. cap. 6. tex. 42. ubi dicit ea esse unum numero, quorum materia est una, & lib. 7. cap. 8. tex. 18. formam in his carnibus, atque ossibus esse Socratem, & Calliam; sed præcipue lib. 12. metaph. cap. 8. tex. 49. ubi ex professo disputat de substantijs separatis, & de numero illarum, hancque statuit generalem regulam, quancunque sunt unius specie, & plura numero, materiam habent; ex qua inferit substantialem immaterialem, quæ est primum principium motus supremi corporis celestis, non posse multiplicari secundum numerum, sed esse unum tantum negative; hoc est essentialiter ex se omnino indivisum; discursus Aristotelis ad formam dialecticam constitutus sic est. Tota multiplicatio numerica in substantijs provenit à materia; sed substantia maxime separata, quæ est principium motus supremi corporis celestis omnino caret: ergo non potest

Quaest. III. Vtrum materia signata, &c. 283

potest multiplicari secundum numerum, sed vni-
ca omnino est, quia deficiente principio multipli-
cationis, ipsa deficiat multiplicatio necesse est.

Secundo probatur ratione fundamentali à pri-
ori, quia integrum adæquatum, & proximum prin-
cipium individuationis rei substantialis compo-
sitæ est hæc materia, & hæc forma; sed forma
non est hæc, & individua ex se ipsa, sed per mate-
riam, ordinemque ad ipsam quantitatem signatam:
ergo ultimum, & radicale principium individua-
tionis rei substantialis, ultra quod progredi non
licet, est sola materia signata quantitate: conse-
quentia est evidens; si enim forma non haberet
quod sit hæc, nisi per materiam signatam, non
poterit reddere rem substantialem hanc, & indi-
viduam, nisi dependenter à materia, & per ordi-
nem ad ipsam: ergo tota rei substantialis indivi-
duatio, tandem in ipsam materiam signatam, tan-
quam in ultimum, & radicale principium refun-
denda est. Maior clara est, & conceditur ab ad-
versariis: minor probatur, principium individua-
tionis formæ est principium limitativum talis
formæ, & divisivum illius ab alia forma intra
eandem speciem; sed principium limitativum for-
mæ, &c. est materia signata quantitate: ergo, ma-
ior est certa; quia omnis gradus differentialis est
divisivus, & partitivus gradus communis, ut de-
terminetur ad hoc, & non disageatur ad aliud;
vnde oportet, ut iste gradus desumatur ab aliquo
principio, quod in illo ente sit radix divisionis, &
limitationis, sicut quidditativa, & specifica diffe-
rentia, est divisiva, & coarctativa gradus generi-
ci ad hanc speciem, & desumitur à forma talis en-
tis, quæ constituit hanc speciem rei ad eundem:
ergo modum individualis differentia divisiva de-
bet esse, & limitativa gradus specifici, & conse-
quenter desumi ab aliquo principio illius entis
physico, quod fuerit radix divisionis, & parti-
tionis eiusdem rei ab alia intra eandem speciem.

Minor probatur: omne illud, quod habet esse
irreceptum suapte natura, & ex se in alio, non est
intra ipsum suum esse limitatum, & divisum ab
alio; sed potius illimitatum, & continens totam
perfectiorem illius esse, & quasi exhauriens
ipsum: ergo tota limitatio, atque divisio formæ
substantialis intra idem esse specificum cum alia
habet ab ipso susceptivo, & per ordinem ad ip-
sum provi hoc divisum est atque partitum ab alio
susceptivo; sed susceptivum formæ substantialis
provi partibile, & divisibile ab alio est materia
signata quantitate, quia materia non est divisa
ab alia nisi per quantitatem, & per orationem ad
ipsam: ergo limitativum, & divisivum formæ
substantialis ab alia intra eandem speciem est ma-
teria signata quantitate.

Tertio probatur, principium individuationis
substantiæ corporeæ debet sumi ab illo funda-
mento, quod in se constituit naturam, quam con-
trahit, incommunicabilem, & indivisam in se, &
divisam, sive distinctam ab omni alio, quod non
est ipsa; sed vtrumque præstat sola materia sig-
nata quantitate: ergo principium individua-
tionis substantiæ corporeæ sumi debet à materia
signata quantitate. Maior est certa. Minor pro-
batur, & in primis quantum ad primam partem,
ab illo debet habere individuum substantiale cor-
poreum incommunicabilitatem in pluram, quod ex
se est radix incommunicabilitatis in pluram; sed so-
la materia vti primum subiectum est radix incom-
municabilitatis in pluram, ipsa enim nulli alteri, ut

P. R. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

subiecto potest communicari: ergo.

Deinde probatur eadem minor quantum ad se-
cundam partem. Individuum non intelligitur in
suo esse completo constitutum usque dum intelli-
gatur individuum à se, & divisum, sive distinctum
divisione numerali ab alio omni, quod non est
ipsum: sed primum habet individuum substantiale
corporeum à materia, & secundum à quantitate,
quia quantitas sola est, quæ distinguit, & dividit
secundum numerum: ergo.

Quarto, si individua substantialia corporea non
individuarentur à materia signata quantitate, &
alijs dispositionibus, & circumstantijs temporis,
loci, agentis, & passivi, nulla ratio sufficiens reddi
posset, quare hoc potius individuum, quam illud
produceretur, recurrere enim ad Deum non est
philosophicum: ergo individua substantialia cor-
porea individuantur à materia, quatenus ordina-
tur ad quantitatem, & cetera accidentia. Antecedens
ita ostenditur, quia agens secundum se spec-
tatum, item materia concepta sine ordine ad hanc
numero quantitatem, & reliquas dispositiones est
indifferens ad producendum hoc, vel illud indi-
viduum: ergo nisi determinetur ab ordine ad
hanc quantitatem simul cum alijs circumstantijs
ad producendum hoc potius individuum quam
illud, nullum constituet neque produceret, quia à
potentia indifferenti, & nullo modo determinata
determinatus effectus oriri non potest.

SECTIO II.

Aliaque certa notantur.

VT quaestiois titulus intelligatur, adverten-
dum est cum Patre Suarez in subiectis crea-
tis considerari posse metaphysicam compositionem,
quæ secundum rationem est ex natura spe-
cifica, & differentia individuali. Sicut enim id,
quod addit speciem supra genus iuxta metaphysi-
cam considerationem est differentia divisiva, seu
contractiva generis, & constitutiva speciei, sic dif-
ferentia individualis est contractiva speciei, &
constitutiva, ac distinctiva individui, quæ ve-
re ac proprie differre numero dicuntur; ita hoc,
quod addit individuum supra speciem, licet sit
tantum ratione distinctum, tamen reale esse, &
positivum debet dici, ac merito nuncupari, fun-
dans negationem divisionis, seu individuationem
propriam individui, quia per se tale singulare est,
& ex vi illius additi per rationem est distinctum
ab alijs individuis, & ideo adiunctum speciei cum
illa constituit individuum per se unum sub tali
specie, vere differens, ac distinctum à quolibet
alio, nihilque illi deest, quominus veram ratio-
nem differentia habeat, vnde nonnulli hoc pu-
tant esse assignandum principium individua-
tionis, & nullum aliud esse querendum, ut videre est
in Scoti in 2. dist. 2. q. 2. sed non disputatur in hoc
sensu præsens quaestio, nec de illa vere est diver-
sitas opinionum inter eos, qui de principio indi-
viduationis disputant; sensus ergo quaestiois
est, quodnam fundamentum, vel principium in re
ipsa habeat physicum, & naturale illa differentia
individualis; quia hæc prædicata metaphysica
solent sumi ex principijs physicis realibus, intrin-
sece constituentibus rem; quomodo genus dici
solet sumi à materia, & differentia à forma, & de-
nominationes substantiales interdum sumuntur à

N n 2 materia

materia ut cum homo materialis dicitur interdum à forma, ut cum dicitur rationalis, interdum ab vnione, ut cum dicitur corruptibilis, & mortal, tandem interdum à tota natura composita, ut cum dicitur homo; ad hunc ergo modum in presenti inquitur, quod sit principium huius individuationis, seu differentie singularis; ex qua declaratione constat hic non inquiri principia, vel causas extrinsecas individuationis quales sunt causa efficiens, aut finalis; nam hæc non aliter causant individuationem, quam causando entitatem singularem, seu dando ipsum principium intrinsecum individuationis.

Item hic non querimus de principio intrinseco adæquato illius, quia certum est, nec solam materiam adhuc affectam quantitate vel radicaliter præcontinentem illam, nec solam formam esse posse principium individuationis adæquatum; quod demonstratur sic. Nam illud est principium adæquatum alicuius, quod totum esse illius tribuit sine consortio alterius vel quod est adæquata ratio constitutionis principii; sed sola materia non est adæquatum principium huius hominis in quantum talis secundum quod individuum est, nec sola forma, quia individuum in quantum individuum est, est hoc singulare compositum; sed compositum in quantum compositum habet esse non solum à forma, nec solum à materia; sed ab utraque parte vnitis; ergo non solum materia, nec solum forma sed utraque pars vnita est adæquatum constitutum singularis, & individui; hic autem querimus de principio inadæquato radicali præcipuo quod sit fundamentum individuationis, & licet questio generalis sit, de omnibus substantijs creatis, quia tamen materiales sunt nobis notiores, de illis querimus nunc, postea acturi de spiritualibus.

Deinde aduerto, vnitatem numericam posse sumi dupliciter, primo quantitative, secundo entitative, siue transcendentaliter, vnitatis quantitativa fundatur in ipsis quantitativis, quatenus faciunt numerum prædicamentalem, qui secundum Thomistam ponitur in prædicamento sub specie quantitatis discretæ, vnitatis autem numerica entitative, seu transcendentaliter est differentia individualis cuiuscumque rei, ratione cuius substantia, v. g. est hæc, & collocata in vasi prædicamenti substantiæ, quam Aristoteles vocat primam substantiam; questio ergo præsens non procedit de prima vnitatis numerica quantitativa, quia de illa non potest dubitari, quod proveniat à quantitate, quia omnis effectus formalis provenit à sua forma; sed quantitas est forma illius effectus formalis, vnitatis scilicet numerice quantitativæ: ergo provenit à quantitate; quapropter controversia est de vnitatis numerali, seu individuali, secundo modo accepta, de qua etiam non inquirimus principia extrinseca, scilicet causam efficientem finalem, & alias condiciones extrinsecas, sed solum inquirimus principium intrinsecè constitutum vnitatis numerice substantialis; de quo dupliciter possumus loqui, vel quoad se, vel quoad nos, quoad se inquirendo scilicet quodnam principium individuationis habeat res in seipsa; unde scilicet in seipsa habeat quod sit hæc distincta numericè ab alia eiusdem speciei, quoad nos vero idem est, ac dicere, vel inquirere, unde nos cognoscamus esse hoc individuum substantiale distinctum individualiter ab alio individuo eiusdem speciei, v. g. unde cognoscamus

hoc individuum esse Petrum, & esse distinctum à Paulo, Ioanne, & alijs hominibus; nos autem hic præcipue de primo principio loquimur.

SECTIO III.

Nostra sententia explicatur, & probatur.

Conclusio: Materia prima signata quantitate propterea à Caietano ponitur, non est principium intrinsecum individuationis; sic communiter nostræ Societatis Doctores.

Probatur primo, argumento universalis, quo funditus labefactatur non solum sententia Caietani, sed universa Thomistarum, quomodocumque explicetur opinio; quia illud, quod est oppositum suo modo alicui effectui intrinseco, propterea sic non potest esse causa, radix seu principium proprium intrinsecum, atque præcipuum illius, cui opponitur; sed materia prima signata quantitate est suo modo opposita individuationi; ergo non potest esse principium præcipuum intrinsecum, & proprium illius; maior est evidens; albedo enim non potest esse principium nigri, & forma indifferens seu communis non potest esse principium præcipuum proprium, & peculiare determinati, & ultimi effectus, primo quia albedo propria oppositione contrarietatis opponitur nigredini; secundo quia forma indifferens communis, & universalis opponitur suo modo effectui determinato, & singulari.

Clarius, materia prima non potest constituere hominem tanquam præcipuum principium intrinsecum in esse distincti, & differentis specie ab equo, quia distinctum, & differentis specie suo modo opponitur communi, ut communi; sed materia prima est communis homini, & equo, & differentis, ut differentis in homine, seu differentia in homine non est communis, nec ratio conveniendi hominis cum equo; ergo opponuntur suo modo, ac proinde non potest materia prima constituere præcipue intrinsece hominem in esse differentis ab equo.

Minor, in qua est tota difficultas, sic probatur, quia differentia individualis quæ ultima, & atomica est, est quædam ratio ita intrinsece constitutiva individui, ac ita propria metaphysice illius, ut per illam ultimo distinguatur individuum à quolibet alio, tam existenti, quam possibili, sine aliqua convenientia in illa quoad explicatum; sed materia prima signata quantitate non est propria individui, sed indifferens ad quodcumque aliud individuum, nec est ratio physice distinctiva illius à quolibet alio, sed potius est ratio conveniendi cum alijs; ergo opponuntur suo modo differentia individualis, & materia prima signata quantitate. Probatur consequentia; quia ratio conveniendi cum aliquo, & ratio differendi ab eodem, ratio communis multis, & ratio propria vnus, ratio universalis in suo genere, & ratio particularis in eodem habent oppositionem sibi proportionatam in ordine ad effectus causandos; sed materia prima signata quantitate est communis Petro, & Paulo, & est ratio conveniendi utriusque, & differentia individualis est propria Petri, ac proinde est ratio differendi à Paulo, illa est universalis universalitate fundamentali, hæc est determinata ad Petrum; ergo differentia individualis, & materia prima signata quantitate habent suo modo oppositionem

Quæst. III. Vtrum materia signata, &c. 285

tionem; unde non poterit materia signata quantitate esse principium talis individuationis, v.g. gradus genericus animalis in homine non potest esse principium radicale risibilitatis, sumpto illo gradu animalis quatenus distinguitur à rationali.

Item impossibile est, quod materia prima sit radix intellectus, & voluntatis, & sensuum tam interiorum, quam exteriorum, & in igne à nullo Philosophorum asseritur calorem dimanare ut à principio à materia ipsius, lucem à materia solis, frigiditatem à materia aquæ, sed potius à formis illorum compositorum, & tota adæquata ratio huius est, quia illud, quod est commune, & indeterminatum multis in quocunque genere non potest esse, live in eodem, live in alio, principium alicuius formalitatis quæ non habet communiter sed potius particularitatem, & ratio est manifestæ, quia hæc communitas in tali prædicato, & convenientia, seu indifferentia tribuit aliquomodo oppositionem respectu determinati, non indifferentis, propriæ, ac proinde non mirum, quod illud commune, & indeterminatum multis, non possit esse origo seu principium illius, quod est proprium, & oppositum alteri in quo est illa ratio communis indifferens; sed in materia prima ut probatum est, datur oppositio cum individuatione in ratione determinationis, & indeterminacionis indifferentiæ, & non indifferentiæ, &c. ergo non potest esse principium illius.

14 Prima pars illius præcipuæ propositionis evidens est apud omnes, quia vique ad ultimam differentiam individualement tam in completis, quam in incompletis prædicatis datur simpliciter convenientia inter infinita individua, sola enim differentia individualis est proprium, & ultimum distinctivum; v.g. Petri à quolibet alio individuo sine aliqua convenientia; Petrus enim essentialiter convenit in ratione entis cum Deo, & cæteris creaturis, & in ratione substantiæ cum omnibus substantiis, & sic de cæteris prædicatis universalibus, quod adeo verum est ut si sumatur rationale, quod est ultima differentia essentialis etiam est ratio conveniendi essentialiter quoad explicitum rationalitatis cum infinitis hominibus individuis contentis sub natura specifica hominis; sola enim hæc est, seu Petreitas est, per quam ultimo distinguitur, & nullo convenit Petrus cum alio quoad explicitum Petreitatis; unde differentia illa individualis ita propria est Petri, ut nullo modo sit ratio conveniendi cum alio, ac proinde soli illi inter omnia prædicata repugnet esse fundamentum universalis, propter rationem dictam proprietatis, & ultimæ, seu atomæ differentiæ à quolibet alio; quia est quasi ultimus terminus, ultra quem non datur progressus ad aliud prædicatum; in individuatione enim sistit tota constitutio prædicatorum Petri: ergo est ultima ratio, per quam differt ab omni alio à se distincto, sine aliqua convenientia; unde maxime proprium, ac determinatum prædicatum Petri est.

15 Secunda pars eiusdem propositionis est clara; nam eadem numero materia connotans eandem quantitatem quæ sub forma Petri connotabat talem quantitatem, & constituebat intrinsece ipsum Petrum, ipsa eadem sub forma Pauli connotans eandem quantitatem, constituit Paulum distinctum à Petro: ergo est indifferens adhuc ut connotans unam, & eandem quantitatem ad constitutionem huius, & illius individui; quod sic de-

monstratur; nam connotatio quantitatis, v.g. est ipsa entitas materiæ primæ; quia est essentia illius, ut radix talis quantitatis, & sic asserunt esse relationem transcendentalem, quæ nullo modo distinguitur ab ipsa entitate materiæ; sed eadem numero entitas materiæ, quæ constituebat Petrum cum eadem essentia, & natura constituit Paulum: ergo cum eadem connotatione constituit ipsum, v.g. quia potentia materiæ primæ ad formam substantialem est idem cum ipsa entitate materiæ primæ, & materia prima cum una, & eadem entitate constituit Petrum, & Paulum: ergo cum eadem potentia ad formam substantialem, & non cum distinctis à parte rei potentijs constituit Petrum, & Paulum; sed connotatio, seu ordo transcendentis ad quantitatem est idem, quod entitas materiæ primæ: ergo si cum eadem entitate constituit Petrum, & Paulum, & non cum distinctis entitatibus materiæ primæ cum eadem connotatione, & non cum distinctis realiter constituit Petrum, & Paulum, & ratio huius evidens est, quia materia prima ex sua essentia, & definitione est primum subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit, & sic est pura potentia physica, ex cuius potentia possunt educi infinitæ formæ substantiales, ita ut ex sua parte natura non petat potius hanc, quam illam formam, sed potius ex se est indifferens ad recipiendas omnes illas formas, quæ ex potentialitate illius possunt educi, & sic eadem numero manens potest recipere unam, iam alteram formam, ut constituat varia composita; nam cum non possint simul multæ formæ esse in eadem materia, & ipsa habeat potentiam ad infinitas formas, secundum quod una numero est, necessario, ac evidenter colligitur eandem materiam manendo in eadem individuatione posse recipere varias, & diversas formas; quod experientia etiam patet, nam dum moritur equus, non annihilatur totum illud compositum: ergo non totum, & totaliter illud destruitur in morte equi: ergo aliquid remanet, & aliquid perseverat: sed quod perseverat, non est forma equi ut de se patet, alias non moreretur equus: ergo quod manet, est materia prima equi; quia non est aliud substantiale, quod possit manere; atqui illa materia prima non manet omnino sine forma, ut de se patet: ergo manet cum forma cadaveris: ergo una, & eadem numero materia est communis, & indifferens ad varias formas, quod etiam convincitur, quando corpus unius hominis ab alio homine barbaro manducatur; in eo enim casu materia formæ unius informatur à forma alterius manducantis, quia est alimentum illius: ergo iam eadem numero materia manendo sub eadem individuatione est communis multis, indifferens ad plures formas, & minime propria alicuius, nec id, per quod distinguuntur illa, quia ratio communis non est ratio distinguendi, nec differendi, sed potius conveniendi consequentia illa.

Maiores illa ex terminis patet, quia determinatum, & indeterminatum se habent sicut rationale, & irrationale, corporeum, & incorporeum, materiale, & immateriale; sed rationale, & irrationale, corporeum, & incorporeum, &c. opponuntur metaphysice: ergo determinatum, & indeterminatum dicunt oppositionem metaphysicam: sed ratio conveniendi cum aliquo, & ratio differendi ab eodem, &c. sunt rationes, quarum una est determinata, & alia indeterminata, & indifferens multis: ergo ratio conveniendi cum aliquo, & ratio

Nn 3 differendi

differtendi ab eodem, ratio communis multis, & ratio propria vnius, &c. opponuntur metaphysice.

17 Dices argumentum hoc tantum probare, ut probet etiam materiam primam non esse principium individui villo modo, quia oppositis rationibus non potest aliqua entitas constitui: atqui materia prima quatenus est communis videtur opposita individuo: ergo individuum nullo modo constat illa.

18 Contra; quia si recte intelligatur nostrum argumentum nullo modo probat id, quod ab adversariis dicitur, sed potius nostrum intentum vincit, ac demonstrat, quod sic patet, quia nos ut argumenti medium sumimus, quod vnum oppositum non sit principium alterius oppositi, bene tamen alicuius participantis ex utroque opposito, v. g. quia materia prima opponitur formae, nec materia potest esse principium intrinsecum formae, ita ut forma ex materia componatur, nec potest forma esse principium intrinsecum materiae, ita ut materia ex forma constituatur hominem, & forma etiam ipsum, qui est medium participans ex utroque opposito, ex materia scilicet, & forma, quia est compositum naturale, quod ut sic petit constitui intrinsece actu, & potentia oppositis suo modo relative inter se.

19 Explicatur amplius, nam lux opponitur tenebris, & sic nec tenebrae possunt componere lucem, nec lux ipsas tenebras, nihilominus lux, & tenebrae componunt crepusculum, quod est medium inter lucem, & tenebras; deinde aqua non componit ignem, nec ignis aquam, evidentius autem, quia calor opponitur frigiditati, & frigiditas calori, nec calor constituit frigiditatem nec frigiditas calorem, & nihilominus uterque oppositum constituit tepidum, quod participat ex utroque extremo: sic similiter, licet materia prima non sit principium proprium, & proximum, ac particulare, ex quo sumatur individuatione, quae in natura, proprietatibus, ac conditionibus aliquo modo opponitur, aliqualemque oppositionem habet, ut ex supradictis patet, cum natura, proprietatibus, ac conditionibus materiae primae, nihilominus ipsa materia potest esse principium individui participantis ex differentia individuali, & ex ratione communi simili ipsi materiae primae in conditionibus, ac proprietatibus, nam v. g. hic homo, vel Petrus est mixtum quoddam seu constitutum ex duobus quasi oppositis, nempe ex ratione universali tam specifica, quam generica, quae rationes indifferentes, ac indeterminatae sunt, & ex ratione ultimo determinata, & propria, & quasi opposita, ut ita dicam rationi universali genericae; unde ex ea parte qua individuum habet rationem genericam, potest habere pro principio materiam primam a qua sumitur genus, quatenus autem habet pro constitutivo individuum individuationem ipsam, habet, vel potest habere pro principio non materiam primam, sed formam propter rationes postea ponendas, ita ut differentia individualis, & specifica habeant pro principio, & fundamento physico in ipso individuo formam, quae maximam similitudinem habet cum differentiis; ipsa autem ratio generica, quae reperitur in individuo, habeat pro fundamento, & principio radicali, non formam, sed materiam primam, propter indifferentiam, potentialitatem, & communitatem physicam respectu multorum, quam habet materia prima, similem indifferen-

tiam, potentialitatem, & communitatem, quam habet ratio generica, quae constituit etiam individuum, non secundum proprium illius, sed potius secundum rationem communem eiusdem.

Unde cum ipsum individuum, quod principium est sit quasi mixtum ex praedicatis metaphysicis suo, ut iam explicui, modo oppositis in differentia, & determinatione in potentialitate, & actualitate in communitate, & proprietate, inde evenit, quod possit habere duo principia physica, materiam scilicet, & formam, quae suo modo etiam physice opponantur in communitate, & proprietate, in determinatione, & indifferentia physica, &c. ut ex materia prima quasi ex radice physica communi sumatur in individuo ratio communis indifferens, & quasi potentialis metaphysica, quae genus est, & ex forma, tanquam ex determinata, & propria radice physica, tam in specie, quam in individuo, quasi sicut, vel sumatur alterum praedicatum metaphysicum, quod est differentia, tam individualis quam specifica, per quam individuum individualiter, & essentialiter distinguitur ab alijs, v. g. quia mixtum naturale constat, & continet quatuor qualitates oppositas, attemperatas inter se, frigiditatem scilicet, & calorem, siccitatem, & humiditatem, necessario debet habere pro principijs quatuor elementa suo modo opposita, nempe ignem summe calidum, & siccum, & aquam summe humidam, & frigidam, ut ex igne proveniat calor in mixto, & ex aqua frigiditas, & humiditas in ipso, quas omnes qualitates oppositas non potest continere in se, si solum, vel ex igne, vel ex aqua generaretur, quia si ex solo igne constitueretur non esset principium, a quo fluere in mixto humiditas, & frigiditas, quae sunt qualitates oppositae omnibus, quibus gaudet ignis, v. g. calore, & siccitate; & sicut nullus Philosophus, nec sanae mentis dixit quod calor, qui datur in mixto proveniat ab elemento aquae nec humiditas ab elemento ignis, quia vnum oppositum non est principium alterius oppositi, licet utrumque oppositum possit constituit vnum mixtum, & medium; sic similiter nullus vere metaphysicus, ac vera scientiae claritate illuminatus potest asserere, quod materia prima, quae summe potentialis est summe indifferens, ac summe communis, sit principium proprium, ex quo profluat, pullulet, & dimanet differentia individualis, quae summe actualis est sine aliqua potentialitate, cum haec differentia sit talis conditioni, ut non sit villo modo contrahibilis per aliam, ex eo quod sit ultima in constitutione, extra ultimum enim non datur progressus, alias ultimum, & non ultimum foret; & quae maxime determinata sine aliqua indifferentia cum omni alio, per illam distinguatur, & differat individuum, ac tandem cum minime communis sit, sed propria maxime talis individui, ac proinde opposita in omnibus conditionibus materiae primae, licet ipsa materia prima possit esse principium individui, quoad rationem convenientiae, hoc est quoad rationem genericam, & potentialem, quam continet, sicut quoad rationem differentiae, quam complectitur, habet pro principio formam individuum, Petri v. g. nam Petrus convenit, & disconvenit cum infinitis, & ideo necessario exigit principia, per quae conveniat, & disconveniat, tam physice, quam metaphysice; unde neque adaequate convenit, neque adaequate disconvenit, sed partim est conveniens, & partim differens; unde totum esse individuum concretum includit

includit partem physicam, per quam partim conveniat, & partem physicam, per quam partim disconveniat, neque potest dici, quod per eandem partem, per quam physice disconveniat, conveniat simul, sed potius per unam conveniat, & per aliam disconveniat; totum autem, & convenit, & disconvenit simul ratione diversarum rationum in quo distinguitur totum individuum, Petrus v. g. quoad explicitum à Petreitate, seu à differentia individuali, nam Petrus, quoad explicitum, quia est mixtum ex rationibus oppositis, habet mixturam, & disconvenientiam, & ideo metaphysice sumptus debet esse talis, ut supponat radices suo modo oppositas physice; ex quibus secundum utramque rationem, quasi pullulet.

¹¹ Petreitas autem quatenus differentia explicita Petri est, quia est pura determinatio sine aliqua indeterminatione, quia est pura differentia sine aliqua convenientia, quia est propriissima sine aliqua universalitate, necessario, ac evidenter sequitur ut principium proprium physicum, ex quo quasi pullulat, non possit esse indeterminatum potentiale, indifferens, & commune, quia iam principium, ex quo aliquid sequitur, esset oppositum principiato, & constituto per illam; sed materia prima signata quantitate est pura potentia communis multis, & indifferens illis: ergo non potest esse radix præcipua, & propria differentie individualis quæ determinata, & propria individui est, licet possit esse principium individui, quia individuum ut individuum continet etiam in se rationem potentialem, communem, & indifferentem, genericam nimirum, quæ potest correspondere materie primæ.

¹² Declaratur amplius ac confirmatur; quia illud, quod est formale distinctivum, non potest esse commune alijs, à quibus distinguitur; sed materia prima est communis omnibus individuis: ergo non potest esse principium radicale, aut formale individui constitutum, & distinctivum à quolibet alio. Maior est evidens, quia ideo in distinctione specifica visibile est proprium principium distinctionis obiectivum potentia visiva, & non est tale principium distinctionis cognoscibile ut sic, quia visibile, ut tale est solum, & proprium obiectum potentia visiva, & non commune alijs potentijs; cognoscibile autem, cum non sit proprium, sed commune multis potentijs, non potest esse principium distinctionis inter illas.

¹³ Clarius exemplum. Ideo Pater æternus, quatenus talis pater distinguitur intrinsicè per ordinem ad Verbum divinum, tanquam ad filium à cæteris patribus naturalibus, quia Verbum divinum est proprius, & solus filius naturalis respectu patris, & non est filius communis reliquis patribus; quare si per impossibile esset filius aliorum Patrum, non distingueretur Pater per ordinem ad illum filium, & contra Verbum divinum ut filius distinguitur à quocunque alio filio per ordinem ad Patrem æternum, quia Pater æternus, quatenus Pater est solus, & proprius Pater Verbi divini, & non est Pater naturalis aliorum filiorum, imò Verbum divinum distinguitur ab Spiritu sancto per ordinem ad Patrem æternum, non sub ratione principij productivi ut sic, sed potius in ordine ad illum, quatenus producit Verbum divinum per generationem, quia talis ordo ad tale principium sub ratione generantis

non est communis Verbo divino, & Spiritui sancto; sed potius est peculiaris, & proprius Verbo divini. Item risibilitas distinguitur ab innibilitate per ordinem ad rationalitatem tanquam ad principium; quia rationalitas est proprium principium, à quo dimanat risibilitas, & non est commune principium illi, & innibilitati; nam si esset commune principium, non esset distinctivum risibilitatis ab innibilitate, nec posset esse constitutivum in esse differentis, & distinctæ ab innibilitate. Tandem, quia gradus substantiæ est communis homini, & lapidi non potest esse principium seu radix alicuius proprietatis quæ solum conveniat homini, & per quam differat homo à lapide. Vnde substantia, quæ convenit homini ratione gradus substantialis, non potest convenire homini soli, & proprie; ita ut per illam distinguatur homo à lapide, sed potius debet esse communis utrique, & ratio est manifestata, quia principium, & principiatum proportionantur, quia quod fluit à principio communi, commune debet esse; & quod à determinato, determinatum: ergo si materia prima non est solum principium proprium huius individui, nec determinatum respectu illius, sed potius commune omnibus, non poterit ullo modo, esse principium intrinsecum, & radix à qua sumatur individuat, quæ proprie, & ultimo determinata est ad hoc individuum, v. g. Petrum, sine aliqua convenientia cum alio.

SVBSECTIO I.

Secundum principale argumentum ponitur, & variae solutiones dissolvuntur.

²⁴ Secundo argumentor ad hominē contra omnes Thomistas, quia in sententia eorum, & præcipue in opinione Caietani, genus sumitur à materia, & differentia specifica à forma; ita ut nullo modo possit sumi differentia specifica à materia, & genus à forma, sive materia sumatur in ordine ad quantitatem, sive ad qualitates, sive ad quodcunque aliud, & ratio huius, quam tradunt ipsi, est; quia inter materiam, & genus datur proportio in hoc, quod sicut materia est indifferens physice, & communis multis formis, & multis compositis, eadem numero manendo; sic genus idem est indifferens, & commune materie ad multas differentias, quæ sunt formæ materie, & contra vero differentia, cum non sit communis, & indifferens metaphysice, minime potest sumi à materia; sed à forma, quæ nullo modo est indifferens ad hoc, & ad illud compositum specie distinctum, nam si differentia sumeretur à materia, sumeretur à quodam fundamento quod habet oppositionem in communitate, proprietate, & indeterminatione; tunc sic: sed differentia individualis est ultimo determinata ad hoc individuum, ita ut illi repugnet omnimodo omnis, & quæcunque communitas, ad aliud metaphysice: ergo similiter, imò à fortiori non poterit sumi à materia prima differentia individualis, siquidem materia prima opposita est indifferentiæ individuali; ut ex supradictis patet, sicut opponitur differentia metaphysice essentiali, imò maius fundamentum datur ad hoc, ut sumatur differentia essentialis à materia, quam differentia individualis ab ipsa, quia

quia differentia essentialis, exempli gratia rationalitas, licet sit principium distinguendi unam speciem ab alia, nihilominus est proprium principium conveniendi inter omnia individua illius speciei, & sic eadem rationalitas ut sic convenit omnibus individuis speciei humanae, quapropter saltem in illa convenientia, & communitate assimilatur iam materiae primae; sed differentia individualis nullam similitudinem habet cum materia prima, quia differentia individualis, per se scilicet quoad explicitum minime est principium conveniendi; sed potius est ultima determinatio Petri, per quam distinguitur Petrus à quolibet alio ente in infinitum, sine aliqua convenientia. Item quia differentia individualis ut supra diximus, quatenus talis est, non est amplius contrahibilis per aliam, sicut est differentia essentialis, & ideo vocatur differentia individualis ultima forma metaphysica: ergo minus conveniunt, & magis disconveniunt differentia individualis, & materia prima, quam differentia essentialis, & ipsa: ergo si propter minorem disconvenientiam, quam habet differentia essentialis cum materia prima, licet habeat in alijs rationibus convenientiam, non sumitur ab illa, sed à forma, à fortiori differentia individualis, quae maiorem dissimilitudinem, & disconvenientiam habet cum ipsa materia prima, sine aliqua convenientia cum illa, non poterit sumi à materia prima indifferenti ad omnia individua.

25 Dices, materiam primam ut connotantem hanc quantitatem, non esse indifferentem ad hoc, & ad illud individuum, licet quatenus connotat alias quantitates, sit indifferens.

26 Contra, quia materia prima, ut materia prima est, & quatenus talis individua materia, est pura potentia cum ordine transcendentali, non solum ad hanc formam, sed ad infinitas formas, ut demonstratur in Physicis: sed materia ut materia, & ut sic dicens illum ordinem transcendentalem, connotat quantitatem, & est radix illius: ergo adhuc ut connotans quantitatem, & quatenus quantitatis radix est, est indifferens: patet consequentia, quia indifferens materiae primae est essentialis materiae primae; sed essentia materiae primae non tollitur ex vi connotationis ad quantitatem: ergo ex vi connotationis non definit esse indifferens: ergo non potest ex vi connotationis ad quantitatem esse principium proprium huius individui.

27 Vigetur; ordo radicalis ad hanc quantitatem non distinguitur realiter ab ipsa materia prima: ergo materia prima non est haec positive per ordinem radicalem ad hanc quantitatem: sed materia prima ex eo quod sit haec, & individua constituit hoc individuum: ergo per ordinem ad hanc quantitatem non constituit illud. Antecedens conceditur ab adversarijs, & est evidens, quia ille ordo est transcendentalis in ipsa materia prima. Probatur consequentia, quia id, per quod materia prima constituitur haec positive, secundum vestra principia distinguitur realiter ab ipsa materia prima; sed ordo radicalis ad hanc quantitatem non distinguitur realiter ab ipsa materia: ergo non constituitur haec positive materia prima per ordinem radicalem ad hanc quantitatem. Probatur maior: illa, quae separantur realiter, distinguuntur realiter; sed materia prima separatur realiter ab eo, quod est esse positive: ergo distinguitur realiter ab eo, quod est esse hanc

positive. Probatur minor, per vos materia prima est eadem negative realiter in omnibus compositis, & non est eadem positive realiter in omnibus compositis; sed eadem entitas physica realis materiae primae est in omnibus compositis, quae successive componit: ergo esse hanc positive separatur ab entitate physica materiae primae; ergo entitas physica materiae primae est principium intrinsecum individuationis per aliquid distinctum ab ipsa materia prima; quod negant adversarij, qui ita respondent, & postea probatur: ergo non constituitur per aliquid distinctum ab ipsa materia prima in esse huius positive: ergo sub quocunque composito materia prima est haec positive; patet consequentia, sub quocunque composito est materia prima secundum suam entitatem physicam, sed entitas physica materiae primae est haec entitas positive: ergo in quocunque composito materia prima est haec positive: ergo, etiam in quantum haec positive est indifferens ad plura individua composita: ergo non potest esse principium ultimum determinatum huius individuationis compositi substantialis.

Dices quod materia prima, licet eadem entitas 28
tive, & ut materia prima praecise, non tamen est eadem formaliter, & ut materia secunda in omnibus compositis, est tamen principium individuationis, non ut est praecise materia prima, & eadem entitativa, sed quatenus est materia secunda, & eadem formaliter; quam solutionem ita explicant, materia prima entitativa considerata, & ut praecise est materia prima, dicit ordinem ad omnes quantitates, & est indifferens ad omnes illas, & secundum hoc non potest esse principium individuationis ultimum; at vero materia prima quatenus est radicaliter haec quantitas Petri, dicitur materia secunda, & secundum hanc rationem est principium individuationis Petri, quia in tantum est materia Petri, in quantum est quantitas virtualis illius, & secundum hanc rationem ita est determinata ad componendam entitatem Petri, ut non possit componere entitatem Pauli; sed entitatem Pauli componit praecise quatenus est quantitas virtualis illius, & sic remanet eadem entitativa, & materialiter, & ut praecise est materia prima sub omnibus compositis, non tamen quatenus est eadem formaliter, & ut materia secunda.

Sed contra primo, hic inquirimus principium 29
physicum individuationis: ergo nulla est solutio: probatur consequentia, haec solutio recurrit ad praedicata metaphysica; sed recurrere ad praedicata metaphysica non est assignare principium physicum individuationis: ergo haec solutio non assignat principium physicum individuationis; probatur maior, praedicata metaphysica sunt variae formalitates, quas intellectus distinguit in aliqua simplici entitate reali; sed haec solutio recurrit ad huiusmodi formalitates: ergo recurrit ad praedicata metaphysica; Maior est definitio praedicatorum metaphysicorum, ideo enim animal, & rationale in homine sunt praedicata metaphysica, quia sunt formalitates, quas distinguit intellectus in homine, qui est simplex, & indivisibilis entitas realiter in ordine ad illa praedicata metaphysica. Minor non est minus praedicata metaphysica, quia materia prima est evidens, quia formalitas, quae materia prima est virtualis quantitas Petri, & formalitas, quae est virtualis quantitas Pauli, & non Petri, sunt formalitates solum per rationem distinctae; sed haec solutio

Quaest. III. Vtrum materia signata, &c. 289

solutio recurrit ad has formalitates: ergo recurrit ad formalitates, quas intellectus distinguit, cum ipsae non distinguantur realiter: ergo recurrit ad praedicata metaphysica; sed quaestio non est de praedicatis metaphysicis, vt patet ex explicatione quaestionis posita *sectione prima*: ergo loquendum est solum de materia prima quatenus est physica quaedam entitas; sed quatenus est physica quaedam entitas materia prima eadem est successively sub pluribus substantialibus, & ratione illarum vt probatum est; sub pluribus quantitatibus: ergo materia prima nullo modo potest esse principium vltimum individuationis huius compositi individualiter sumpti.

30 Contra secundo, materia prima eadem est sub pluribus formis, non solum vt materia prima, & entitative eadem, sed etiam vt materia secunda, & formaliter eadem: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, materia prima, quae est sub forma embryonis, & quatenus materia secunda est, nec realiter, nec formaliter distinguitur a materia secunda viventis: ergo eadem materia prima tam entitative quam formaliter est in pluribus compositis. Probatur antecedens primo, vt aliquod concretum distinguatur ab alio realiter, vel formaliter, necessarium est, quod habeat aliquid realiter, vel formaliter, quod non habet aliud, sed materia secunda embryonis non habet aliquid realiter, nec formaliter, quod non habeat materia secunda viventis: ergo materia secunda viventis vt haec positive est, non distinguitur realiter, nec formaliter a materia embryonis, quatenus est haec materia secunda. Maior est evidens, probatur minor; & in primis materia embryonis non habet aliquid realiter, per quod constituitur positive in esse materia secunda; quod non habeat realiter materia viventis, quia in esse talis constituitur secundum aduersarios per rationem virtualis quantitatis embryonis, quod non distinguitur realiter a ratione virtualis quantitatis viventis.

31 Deinde probatur quod nec habeat aliquid formaliter distinctum, quia si aliquid haberet distinctum formaliter, maxime ordinem radicalem ad hanc quantitatem embryonis, sed ordo radicalis ad hanc quantitatem embryonis non distinguitur formaliter ab ordine radicali ad hanc quantitatem viventis: ergo nihil datur formaliter distinctum in materia embryonis quod non detur formaliter etiam in materia viventis. Maior est sententia, & solutio aduersariorum. Probatur minor, & meo videri satis efficaciter, in principijs Thomisticis ex multiplicatione terminorum materialium nullo modo multiplicantur relationes; sed quantitas embryonis, & viventis solum sunt termini materialiter distincti: ergo ex multiplicatione illorum non multiplicantur formaliter ordines transcendentales in ipsa materia prima: ergo ordo transcendentalis, & radicalis materiae primae ad quantitatem embryonis non distinguitur formaliter ab ordine radicali materiae primae ad quantitatem viventis: ergo eadem est formaliter materia secunda embryonis, & materia secunda viventis.

32 Secundo probatur idem Antecedens: differentia individualis cuiuscunque rei est maxime simplex, & indivisibilis: ergo materia prima ad quantitatem embryonis non distinguitur formaliter ab ordine materiae primae ad quantitatem viventis; antecedens est evidens, quis enim dicat,

R. P. *Ildeph. de Penafels Theol. Schol. Tom. I.*

Petram constitui per plures petreitates; & ratio illius est manifesta, quia sufficienter qualibet species determinatur ad vnam individuum per vnicam differentiam individuaalem. Probatur consequentia: differentia individualis materiae primae est ordo virtualis ad quantitates; sed differentia individualis materiae primae est vnica, & omnino indivisibilis extensive, & metaphysice: ergo ordo radicalis ad quantitates est idem formalissimemetaphysice, & indivisibilis extensive in materia prima: ergo materia secunda embryonis non distinguitur formaliter a materia secunda viventis. Patet vltima consequentia; quando aliqua habent idem constitutivum nec formaliter distinctum, non distinguuntur formaliter, sed sunt idem in illa ratione; sed materia secunda embryonis, & materia secunda viventis habent idem constitutivum non distinctum formaliter: ergo non distinguuntur formaliter in ratione materiae secundae embryonis, & viventis. Maior est evidens; ideo enim tres divinae personae nec per rationem distinguuntur in ratione Dei, quia habent idem omnino constitutivum, nec formaliter distinctum. Minor etiam est evidens, & est iam probata: ergo eadem materia positive formaliter, & secunda est indifferens, vt sit sub pluribus formis distinctis: ergo non potest esse principium individuationis vltimum.

Vltimo argumentor ad hominem contra Thomistas qui ideo negant, substantiam esse immediate operativam, quia actus, & potentia debent esse in eodem genere, vt constat ex dictis in physicis, sed materia prima non est in eodem ordine individuali cum quantitate: ergo materia prima non potest primo, & per se respicere quantitatem, vt sit individua: ergo individuatio materiae non sumitur a quantitate.

Respondet Caietanus, quod materia prima, quatenus recipit quantitatem, est eiusdem rationis cum illa.

Sed hoc est omnino falsum, & intelligibile, quia quantitas est accidens adhuc in quantum recipit in materia prima; atqui materia prima, etiam quatenus recipit quantitatem, est substantia, quia si non esset substantia, reciperet quantitatem media aliqua potentia accidentali; de qua rediret idem argumentum, quomodo materia prima reciperet illam potentiam, & vtrum esset in eodem ordine: ergo materia prima non respicit primo, & per se quantitatem.

Et si dicas cum Lavello quod respicit quantitatem, vt actum secundum, redit argumentum supra factum, quod materia prima prius quam respiciat hanc quantitatem, respicit hanc formam substantiaalem, & sic individuabitur a forma substantiali.

Dices, materiam primam, vt connotat dimensiones interminatas posse esse indifferentem multis, & esse posse sub multis formis, & vt sic non posse esse principium individuationis: materiam vero cum his determinatis dimensionibus quantitatis esse propriam huius individui.

Contra, quia materia cum his dimensionibus, & quatenus connotat illas, est materia sub accidentibus communibus, quia haec dimensiones sunt haec quantitas, & haec qualitates, vt haec densitas, raritas, calor, & similia; sed quantitas, & huiusmodi qualitates sunt accidentia communia, & non propria alicuius individui; vnde ex sua natura non sunt magis huius, quam illius; quis enim dicat

O o dicat

dicat respectu hominis raritatem, densitatem, vel calorem esse proprietates, seu passiones, ut est risibilitas, admirabilitas, &c. ergo adhuc materia sub his determinatis dimensionibus, non est principium huius individuationis; sicut v.g. materia prima non solum ut sic, sed nec hæc materia nuda sumpta potest esse principium individuationis Petri, quia tam ratio communis materie, quam particularis, & individua materia, est subiectum commune respectu forme Petri, & Pauli, & equi, ut videre est respectu Ioannis, & eius cadaveris, moriente eodem Ioanne; sed non solum albedo ut sic, quantitas, raritas ut sic, & &c. sed talis quantitas, talis albedo, talis raritas, & densitas non sunt accidentia propria, & passiones subiectorum individuum; sed sunt accidentia communia omnibus, & quæ non solum in hoc, sed etiam in alio individuo possunt reperiri, ut videre est in hac numero quantitate, albedine, & ceteris accidentibus, quæ ante consecrationem erant accidentia huius numero panis; post consecrationem autem existunt, sine illo subiecto; cum autem Sacerdos consumit species sacramentales, omnes unanimiter concedunt, Deum creare aliud subiectum substantiale ad nutritionem Sacerdotis, quod vnitur quantitati, & accidentibus sacramentalibus, & sic vnium seu imbutum illis est alimentum Sacerdotis, quod experientia manifesta constat; nam bene poterat, Sacerdos sine eo quod aliquid aliud manducaret, solum speciebus sacramentalibus si maximæ quantitatibus, & magnitudinis essent, ut visu veniebat in primitiva Ecclesiastice enim consecrabantur panes magni, quos si Sacerdos sumeret consecratos, sine dubio aleretur ab ipsis, ut de facto cõtingit in Græcis Sacerdotibus, qui in pane fermentato sufficientis magnitudinis ad nutritionem consecrant; sed non posset ali, aut nutriri solum quantitate, & accidentibus, quia nutritio est actio substantialis, per quam materia alimenti vnitur materie aliti, & informatur eadem forma substantiali; nutritio enim, quæ fit per alimentum, est conversio substantialis vnus substantiæ in aliam, id est alimenti in alitum: ergo erat necessaria aliqua substantia simul cum illis accidentibus, ut talis alimentatio, seu nutritio Sacerdotis fieret, quam ingenue concedunt dari omnes Theologi, productam nimirum de novo, ut diximus, & subrogatam loco substantiæ panis destructæ per consecrationem hostiæ; in illo autem casu evidenter colligitur, illam numero quantitatem, & illa numero accidentia, quæ erant in hac numero substantia panis esse nunc in alia substantia distincta ab illa, & ratio est, quia talis quantitas numero est accidens commune, minime debitum, nec proprium huius numero individui; nam accidens contractum, si in communi erat accidens commune, ex eo quod contractum sit, non fit proprium, aut proprietas alicuius, ita illi debita, ut non possit alteri convenire: ergo adhuc materia sub his dimensionibus determinatis, & quatenus connotat illas, seu est radix illarum, non poterit esse principium intrinsecum individuationis, quæ propria est respectu Petri, siquidem adhuc sub illis, & adhuc connotando illas manet commune subiectum indifferens multis individuis numero distinctis.

Vergetur amplius, nam per potentiam Dei absolutam potest Deus conservando substantiam completam Petri, id est materiam, formam, &

vnionem illius destruere hanc numero quantitatem, & cetera accidentia realia; quod evidenter patet, primo à simili, quia si potest Deus in Eucharistia post consecrationem destructa tota substantia panis, conservare incorruptam quantitatem, illam, atque illibata cetera accidentia, licet imperfectiora, & debiliora sint, infimioraque substantia ipsa panis corrupta, licet magis dependant accidentia à substantia quam substantia ab accidentibus; ergo à fortiori poterit Deus entitatem robustiorem, perfectiorem, ac minus dependentem, uti est entitas substantiæ conservare sine accidentibus. Secundo probatur à priori, quia substantia illa non est modus, sed res, unde bene potest esse separata sine accidentibus, quia in hoc distinguitur modus à re, quod modus nec per potentiam Dei absolutam potest esse separatus a re, res autem bene potest per potentiam Dei absolutam conservari sine alia re à se distincta realiter; in hoc autem casu interrogo, an illa substantia sit vna numero individua, vel non; hoc secundum non potest dici, alias substantia sine accidentibus à parte rei esset vniuersalis. Deinde aliqua entitas existeret à parte rei, non determinata, & individua, contra quod insurgunt omnes demonstrationes, quæ fiunt in Logica cõtra vniuersalem tam Scoticum, quam Platonium. Tandem sequeretur evidenter distingui à parte rei sine vlla identitate differentiam individualement à natura communi; quia illa substantia à parte rei ablatis accidentibus, existit sine differentia individuali, unde separatur ab illa realiter: ergo distinguitur ab ea realiter, quia quæ separantur, realiter distinguuntur; hæc autem omnia sunt monstruosa absurda; unde ne hæc sequantur dicendum est, illam entitatem esse individuum sine accidentibus quantitate nimirum, & ceteris determinatis dimensionibus; ergo ad individuationem substantiæ non conducit hæc quantitas, hæc raritas, &c. accidentia, quæ determinatæ dimensionibus vocantur.

Item inquiri, quid addant hæc determinatæ dimensionibus supra quantitatem; dimensiones enim possunt dici interminatæ solum, quia non dicunt certum terminum longitudinis, aut latitudinis, &c. & sic quantitas determinata solum addit certos terminos dimensionis; sed hoc non est satis ad præsens negotium, quia eadem materia hoc modo existens sub eadem certa, & determinata quantitate potest subesse distinctis formis, ut patet in materia cadaveris ante materia hominis, & etiam in eadem virga; prius viridi, postea sicca, & similibus.

Aliter potest dici quantitas interminata; illa videlicet, quæ non est affecta certis dispositionibus, ut tali densitate vel calore, duritie, vel molitie, aut connotando illas, quibus materia prima ad hanc formam potius, quam ad aliam determinatur; & hoc sensu si de sola connotatione loquamur, falsum est, quia connotatio ad infinita accidentia est intrinseca, & secundo essentialem materie, quia in conceptu entitativo materie, & adhuc quatenus est sub hac numero forma, datur connotatio ad omnia accidentia, quia materia ut sic est subiectum ex quo possit educi hoc, & illud accidens, ita ut connotatio respectu materie, licet nuda consideretur illa, semper est respectu infinitorum accidentium; unde necessario dicit connotationem respectu horum & illorum accidentium, hæc connotatio non facit magis propriam

Quæst. III. Vtrum materia signata, &c. 291

propriam materiam primam huius individui, quæ si consideretur sine tali connotatione, quia eadem materia sub hac, & illa forma substantiali indifferenter, & simul connotat ex se hæc vel illa accidentia, & sic infinita, quare materia prima sub hac forma non definit habere connotationem, quam antea habebat, quia illa connotatio non distinguitur à materia prima cum ab aduersarijs, v. g. Caietano dicatur, nihil aliud esse connotationem illam, quam virtutem præcon-
tentivam, & esse radicem accidentium, quod totum eadem entitas, & essentia est materia prima; sed materia prima cum sua entitate, & essentia est indifferens ad infinita individua: ergo materia prima cum illa connotatione est indifferens.

Præterea, quia neque Auctores possunt loqui in hoc sensu, neque in eo esse vota illorum sententia, quia ipsi dicant quantitatem ex propria ratione, & effectum formali distinguere vnum individuum ab alio: ergo non convenit illi hoc ratione aliarum qualitarum, seu dispositionum; alioquin non materia signata quantitate, sed materia quanta signata qualitatibus deberet dici principium individuationis, qui modus loquendi est contra ipsos.

SVBSECTIO II.

Amplius confirmantur dicta efficacissima ratione.

42. **Q**uia materia prima ideo est principium intrinsecum individuationis compositi substantialis, quia ipsa in se individua substantia est: sed non est in se individua substantia per ordinem ad quantitatem: ergo non est principium intrinsecum individuationis substantiæ per ordinem ad quantitatem. Maior est evidens, quia nemo dat quod non habet, nec effectus accipit à causa quod non continetur in causa, & principio; unde si materia prima formaliter non esset substantia, sed accidens, non posset esse principium intrinsecum substantiæ, quatenus substantia est, & ideo Caietanus, cum quo pugnamus, negat quantitatem formaliter efficientem materiam primam esse intrinsecum principium individuationis compositi, quia individuatō compositi est substantia, & quantitas formaliter non est substantia, sed accidens; & contra asserit, materiam ut radicem quantitatis esse principium individuationis compositi, quia totum esse materiæ adhuc ut radicis, est substantia: sed materia prima non solum est principium intrinsecum compositi, ut substantiæ, sed etiam compositi ut individui, & compositum non solum accipit à materia esse substantiæ, sed peculiari modo, & principaliori esse individui: ergo in tantum materia prima est principium intrinsecum individuationis compositi, in quantum in se est individua singularis, & determinata substantia.

43. Minor prima, & præcipua, in qua est tota difficultas, sic demonstratur, quia materia prima secundum se, & quatenus est hæc, & individua substantia non solum est radix vnius individui quantitatis, neque connotat, aut respicit vnam duntaxat individuum, & singularem quantitatem, sed potius infinitas quantitates numero distinctas, & infinitas qualitates, quia respectu infinitarum est indifferens secundum se eadem numero materia prima, neque respicit vnam potius, quam aliam,

P. R. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sed omnes æque infinitas.

Atqui neque ab omnibus simul, neque ab vna particulari potest constitui in esse individua: ergo nullo modo constituitur in esse individua materia prima, hæc per ordinem ad quantitatem, aut terminative extrinsece à quantitate.

Hæc minor, quantum ad primam partem est evidens, quia infinitæ quantitates numero distinctæ, & qualitates sunt diversæ inter se, & distinctæ; & inter qualitates, quas ultimo respicit dantur multæ, quæ habent oppositionem propriam; sed infinitæ individua, diversæ, distinctæ, & oppositæ causæ, indeterminatæ quæ non possunt concurrere ad vnam determinatam individuationem, & ideo Caietanus asserit, compositum non individuari in ordine ad infinita accidentia, quia compositum est vnum singulare determinatum, & infinita accidentia sunt indeterminata causa: atqui effectus determinatus non potest progredi ab indeterminata causa: ergo individuatō hæc singularis, & determinata non potest esse per ordinem ad infinita, & indeterminata principia propter proportionem, quam debet habere principiatum cum principio, aliàs causa, vel principium daret effectui, quod non habet; sed collectio illa omnium qualitarum, & quantitarum non habet esse determinatum, sed infinitum, & indeterminatum: ergo non potest esse principium huius singularis, & determinatæ individuationis; unde hæc individuatō materiæ primæ non potest sumi in ordine ad totam collectionem accidentium, præsertim quia si materia prima esset individua, hæc, & singularis per ordinem ad totam collectionem, etiam compositum hoc esset individuum per ordinem ad totam infinitam collectionem accidentium; sed hoc est omnino falsum in vestra sententia, ac proinde totis viribus negatis hoc, & asseritis per ordinem ad determinatam hæc, & individua accidentia individuari compositum: ergo materia prima non est hæc, & individua per infinitam collectionem accidentium, seu per ordinem ad illam: sequela illa maioris sic patet; quia totum esse individuationis compositi sumitur à materia prima; sed non sumitur à materia prima nisi in ordine ad accidentia, in ordine ad quæ individuatur ipsa materia prima, quia materia prima non alio modo individuatur compositum nisi dando suam ipsam individuationem, & singularem entitatem composito, eo modo quo in se habet formalissime, & non alio modo, & ideo materia prima non est principium extrinsecum, sed intrinsecum individuationis compositi: ergo si per vos formalissime materia prima individuatur in ordine ad infinitam collectionem accidentium: certe materia prima constituet compositum in esse individui, & singularis per ordinem ad infinitam collectionem accidentium, & compositum habebit suam individuationem in ordine ad talem collectionem infinitam, & indeterminatam, quod est falsissimum ut patet ex dictis; quod hoc exemplo declaratur. Nam plura obiecta non individuatur vnam visionem, præcipue si illa sunt disparata opposita, & infinita; unde vna visio, aut vna intellectio creata individua non potest repræsentare infinita obiecta disparata: ergo individuatō totius determinati, & singularis non potest esse per ordinem ad infinitam collectionem accidentium, quia sicut se habet ordo visionis ad obiecta, ita se habet ordo individuationis ad accidentia per vos.

- 46 Secunda pars illius minoris præcipue sic demonstratur, quia hæc, & individua singularis materia omnes quantitates, & qualitates ex se, & quantum est ex parte suæ individuae substantiæ æque respicit sine discrimine, & differentia, & ratio est manifesta in sententia Thomistarum, quia hæc, & individua materia prima sicut non recipit accidentia immediate ratione sui, quia non recipiuntur immediate in materia prima, sed in toto composito; ita non respicit illa ratione sui, sed ratione compositi; sed hæc individua materia prima æque respicit quantum est ex se sine discrimine, & inæqualitate vlla infinitas formas substantiales, & infinita composita, ut late demonstratum manet in Physicis: ergo sine vlllo discrimine, & æqualiter respicit quantitates, & accidentia reliqua infinita: ergo à nulla potius quam ab alia in particulari individuatur hæc materia prima; consequentia est evidens, quia materia prima per vos individuatur per illum ordinem ad quantitates, & qualitates; sed ille ordo materiæ primæ, quia est vnus, & indivisibilis in materia prima, non est magis ad vnā quantitatem, quam ad aliam, nec potius respicit vnā, quam aliam, sed æque omnes sine vlllo discrimine, & inæqualitate: ergo non individuatur potius per ordinem ad vnā, quam ad aliam, quia non est maior ratio vnus, quam alterius: ergo per ordinem ad nullam, individuatur, sicut ipsa materia prima non potest individuari per ordinem ad vnā formam substantialem potius quam aliam, quia materia prima individuatur per ordinem, quem in se habet, & non per ordinem, quem non habet in se; sed materia prima non habet ordinem in se potius ad vnā formam, quam ad aliam: ergo non individuatur per ordinem potius ad vnā, quam ad aliam; sic similiter materia prima individuatur per ordinem quem in se habet formaliter ad accidentia; sed in se non habet ordinem potius ad hoc accidens, quam ad illud: ergo nullo modo individuatur per ordinem ad vnā potius quantitatem, quam ad aliam, ad vnū potius accidens, quam ad aliud.
- 47 Maior illa (quæ incipit: Minor prima, & præcipua) sic demonstratur; quia materia prima ex se, & ex parte sui est radix omnium illarum quantitarum, quas potest recipere; sed potest recipere infinitas, & non vnā potius, quam aliam: ergo est radix infinitarum quantitarum, & est indifferens ad illas.
- 48 Confirmatur: quia materia prima est radix quantitatum, & accidentium, & respicit illa per ordinem ad compositum, & ad formam; sed respicit infinita composita, & infinitas formas: ergo connotat infinitas quantitates, & accidentia, & est radix illorum; sed licet non connotaret infinita accidentia, nec esset indifferens ad infinita, sine dubio connotaret quam plurima, & esset radix plurimorum, ac per consequens esset indifferens ad plura accidentia solo numero distincta, quod est sufficiens ad nostrum argumentum: ergo ordo ad quantitatem non potest individuare materiam primam. Antecedens, supposita sententia contraria, meo videri est evidens; quia quantitas cum recipiatur in toto composito destructo hoc composito, destruitur hæc quantitas, & producto alio composito novo, producit alia quantitas, & hoc à principio mundi vsque ad præsentē diem; sed tunc remanet eadem materia prima, ut demonstratum est late lib. 1. *Physic. disp. de materia*

prima: ergo eadem materia prima recipit, respicit plures quantitates, est indifferens ad illas, & est radix plurimarum solo numero distinctarum.

Consequentia prima probatur, (& erit confirmatio nova præcipui argumenti in hac subsectione positi) materiam primam individuari à quantitate, esset quod hæc numero materia prima, esset hæc ratione huius quantitatis, sicut secundum aduersarios forma individuatur à materia, quia ratione huius materiæ est hæc forma; sed materia prima non est hæc ratione huius quantitatis: ergo non individuatur ab hac quantitate. Minor meo videri est evidens; quia vel materia sub quantitate habet hanc differentiam individualem, per quam distinguitur numero ab alia materia, & quam habet sub quantitate B, vel non habet illam eandem differentiam individualem: ergo materia prima distinguitur à sua differentia individuali: patet evidenter vltima consequentia. Illud, quod potest esse sine alio realiter, distinguitur realiter ab illo; sed materia prima potest esse sine hac numero differentia individuali, quam habet sub quantitate A: ergo materia prima distinguitur à sua differentia individuali, quod negant omnes Thomistæ, & nos probavimus in Logica; imo ipsi Scotistæ, qui cum Scoto dicunt, differentiam individualem distingui à natura specifica, non concedunt quod materia prima mutet differentias individuales, quia licet concedant distinctionem ex natura rei, nihilominus concedunt identitatem realem inter illas, quæ non patitur separationem earundem.

Confirmatur hoc; ideo colligitur evidenter, existentiam materiæ primæ distingui à parte rei ab ipsa in sententia Thomistica, quia materia prima mutat existentias quas habet à forma; sed materia prima secundum aduersarios habet individuationem in ordine ad quantitates: ergo si mutat quantitates, mutat individuationes; ne ergo hoc dicatur, dicendum est, quod materia prima eandem differentiam individualem habet sub quantitate A, & sub quantitate B, & sub omnibus quantitatibus: ergo materia prima non individuatur à quantitate. Probatur consequentia: illud individuatur ab altero, ex quo colligitur individuatio illius per evidentem consequentiam; sed ex hac quantitate non colligitur per evidentem consequentiam individuatio huius materiæ primæ: ergo hæc materia prima non individuatur ab hac quantitate. Maior meo videri est evidens in omni sententia; nam ideo asserunt aduersarij, quod hæc forma individuatur ab hac materia, quia ex hac materia sequitur per evidentem consequentiam hæc forma; ut est hæc materia formaliter: ergo est hæc forma, ut concedunt aduersarij, & in nostris principijs, ideo res individuatur à quantitate propria, quia evidenter colligitur, est propria entitas huius rei: ergo est hæc entitas, & non alia, & ideo colligimus, evidenter hoc agens non esse principium radicale individuationis huius effectus, quia non necessario sequitur; operatur hoc agens, scilicet Deus: ergo est hoc individuum, & ideo asserunt Thomistæ formam esse principium specificationis compositi radicale, quia ex hac forma species sequitur, necessario hoc compositum in specie, ut est forma rationalis: ergo est homo, & ratio huius est evidens; quia hic loquimur de principijs in ordine ad causandam scientiam, quæ debent esse talis conditionis,

Quaest. III. Vtrum materia signata, &c. 293

conditionis, vt ex principio necessario colligatur id, quod sequitur ex illo, & quando non sequitur necessario quærimus aliud principium, ex quo necessario sequatur, & cum quo necessario connectatur, nam ideo colligimus euidenter, animal non esse principium necessarium quantitatis, quia potest dari eadem quantitas, etiam si non detur animal, & ideo quærimus aliud principium, cum quo connectatur necessario quantitas; sed hæc materia prima cum hac differentia individuali potest esse sine hac quantitate formaliter, & radicaliter cum hac, & cum infinitis: ergo hæc numero quantitas non est principium necessarium huius materiae; & idem argumentum fit de forma, quæ non potest individuari ab hac materia, quia hæc mea forma rationalis eadem cum eadem differentia individuali poterat esse sub quacunque materia prima, & respicit omnes materias primas æqualiter: ergo hæc materia prima non est principium intrinsecum necessarium, & radicale individuationis huius formæ. Antecedens meo videri est evidens, vt constat clare in nutritione, ratione cuius idem animus rationalis informat materias aliorum compositorum: ergo poterat succedere, quod illa materia; quæ acquiritur per nutritionem esset sub forma sanguinis materni, & disponderetur in prima generatione; sed materia, quæ acquiritur per nutritionem est distincta ab illa, quam informat animus in prima productione: ergo idem numero animus potuit esse sub diversis materijs numero distinctis: ergo non individuatur ab illis.

¶ Dices, quod materia prima præcisa quantitate, manet eadem negative, non autem positive, quod ita explicant Capreolus, & Bannes, in materia enim prima aiunt dari duplicem vnitatem, vnam quam vocant negativam, & quam semper retinet materia sub diversis formis substantialibus, quia eadem materia prima quæ est sub forma viventis, fuit sub forma embionis, & erit postea sub forma cadaveris, & hanc vnitatem habet materia prima per ordinem ad collectionem omnium quantitatum, & dimensionum, quarum radicaliter est capax; aliam vnitatem considerant, positivam quatenus materia prima secundum individuationem positive pertinet ad speciem naturæ humanæ in tali individuo, scilicet Petro, tanquam pars essentialis illius, & hæc vnitatem sumitur per ordinem radicalem ad hanc quantitatem Petri, quæ quantitas tantum se habet, vt terminus ad individuationem Petri, quia variata hæc quantitate, non manet materia sic positive vna numero, eo quod iam non pertineat ad hoc numero compositum, sed ad aliud alterius speciei, & sic non est eadem numero positive, sed distincta numero positive.

¶ Sed licet iam supra refutata maneat hæc solutio, nihilominus sic insurgo primo, contra illam: ergo materia prima ratione formæ substantialis est positive hæc: patet consequentia. Ratione illius est positive hæc materia prima, ratione cuius pertinet ad hoc individuum humanum, & non ad aliud; sed ratione formæ Petri pertinet ad hoc individuum humanum: ergo ratione formæ substantialis Petri est hæc positive materia prima, quod negant adversarij contra Durandum. Maior est solutio adversariorum: probatur minor, ratione illius pertinet materia ad hoc individuum Petri, ratione cuius est impossibile quod non pertineat ad illud, & quo posito, etiam si mutentur alia, ne-

cessario pertinet ad hoc individuum, & non ad aliud; sed hoc totum habet materia ratione formæ substantialis: ergo forma substantialis est id ratione cuius materia prima est hæc positive. Maior meo videri est evidens, quia illud est ratio formalis, & ultimum constitutivum alicuius, quo posito in subiecto, vel quasi subiecto, & ablato quocunque alio, ponitur effectus, vel constitutum; ideo enim colligimus euidenter, animum rationalem esse constitutivum hominis ultimum, quia posito animo rationali in subiecto, quocunque ablato, vel non posito, poneretur homo, & contra eum, qui diceret, materiam primam ultimo constituere hominem, quatenus ordinatur ad quantitatem, non esse alius modus argumentandi, nisi quia posito animo rationali in materia (& loquor de materia sibi naturali) etiam si non ponatur quantitas, erit homo; probatur minor, posito animo rationali Petri in hac materia, etiam si per possibile, aut impossibile, non poneretur quantitas, materia prima positive pertineret potius ad hoc individuum humanum Petri, vt pars essentialis illius, quam ad aliud alterius speciei; sed ratione illius materia prima est hæc positive, ratione cuius ita pertinet ad hoc individuum potius, quam ad aliud: ergo materia prima ratione formæ substantialis est hæc numero positive. Maior meo videri est evidens, quia tunc materia prima pertinet potius ad hoc individuum, quam ad aliud, quando componit potius hoc individuum, quam aliud; vt explicant adversarij in sua solutione; sed tunc componeret potius hoc individuum, scilicet Petrum, quam aliud: ergo pertineret positive potius ad hoc individuum, quam ad aliud.

SVBSECTIO III.

Aliter confirmatur supradicta ratio.

¶ Via materia prima per se primario, & ratione sui habet propriam individuationem; sed non respicit, nec connotat ratione sui per se accidentia, quantitatem nimirum, qualitatibus, & reliquis accidentibus determinatam, & affectam; sed mediate, & ratione alterius compositi nimirum: ergo materia prima non habet suam, individuationem per ordinem ad accidentia. Maior est certa, quia omne quod datur à parte rei per se, & necessario est hoc singulare, & individuum, vt in Logica demonstratum manet, quia quando alicui per se, & primario repugnat oppositum, alterum oppositum per se, & primario illi convenit: sed rei existenti à parte rei per se, & primario repugnat esse universale, quod est oppositum singularis: ergo per se convenit esse singulare; sed materia prima vere, & per se existit à parte rei: ergo materia prima vere per se primario, & ratione sui habet individuationem propriam, præcipue quia individuat in sententia Thomistica neque realiter, neque ex natura rei distinguitur à prædicatis essentialibus, quæ per se, & primario conveniunt materiæ primæ: ergo per se, & primario convenit materiæ primæ individuat, & singularitas.

¶ Minor prima est certissima in sententia adversariorum, quia materia prima respicit accidentia ratione compositi, quia accidentia non sunt actus materiæ primæ ratione sui, nec recipiuntur in materia prima immediate, & directe, ac primario, sed in toto composito directe ac primario: ergo

Q 3 accidentia

accidentia sunt actus indirectus, & secundarius respectu materiae primae, sed eo modo respicit materia prima aliquem actum, quo recipit ipsum, quia materia prima eo quod in sententia Thomistarum est pura, tota, & adaequate potentia passiva, & receptiva, omnem actum quem respicit, respicit in ordine ad recipiendum, & eo modo quo potest recipere, sed materia prima non potest recipere directe, primario, & immediate ratione sui actum accidentalem, sed ratione totius compositi indirecte, secundario, & accidentaliter ratione totius; ergo similiter non respicit ratione sui immediate, directe, & primario actus accidentales, accidentia nimirum, v.g. quantitatem, qualitates, & c.

55 Consequentia prima, & praecipua est evidentior; quia omne praedicatum per se primario, & immediate conveniens alicui subiecto, non potest sumi per ordinem ad aliquid, quod per accidens secundario indirecte convenit tali subiecto, ut videre est in relationibus, quae in vestra sententia non multiplicantur ad multiplicationem terminorum materialium, neque per ordinem ad illam, quia talis multiplicatio per accidens secundario, indirecte, & non primario, ac per se respicitur a relationibus; multiplicantur autem individualiter per ordinem ad terminos formales, quos per se primario, directe, & immediate respiciunt relationes. Item specificatio materiae primae, seu ratio specifica illius non accipitur ab ipsa in ordine ad accidentia, sed potius in ordine ad formam substantialem, quia specifica ratio materiae primae est ratio per se primario, & immediate conveniens materiae primae, & accidentia non respicit per se, & primario materia prima, sed formam substantialem. Item visio beatifica in sententia Thomistarum non specificatur a creaturis, quae videntur in Deo; sed ab essentia divina, alias visio non esset supernaturalis, & tota ratio est, quia visio beatifica non respicit tanquam obiectum primarium, sed potius secundarium creaturas, sed solum Deum; ergo eo modo debet esse terminus ordinis alicuius praedicati, quo est ipsum praedicatum, quare si convenit alicui aliquod praedicatum intrinsecum per se primario, & directe, etiam terminus talis ordinis debet per se primario, & immediate respici a tali re, ut sumat illud praedicatum, quia inter terminum, & relationem transcendentalem debet dari proportio in eodem ordine; unde si relatio est per se, aut praedicatum terminus talis praedicati, & ordinis, debet esse per se, & si terminus est per accidens, & secundarius, non potest sumi ab eo praedicatum per se.

56 Exemplo clarissimo demonstratur; visio corpora, quae terminatur ad panem, & hostiam, antequam consecratur post consecrationem permanet eadem numero visio, nec destruitur prima, & resultat alia numero, & ratio est evidens, quia licet destruat substantia panis individua, non destruantur haec accidentia numero, a quibus per se haec individuatio visionis sumitur, & non a substantia panis, nec ordinem ad illam, quia sola haec accidentia primario per se immediate, & directe respiciuntur; haec autem substantia non per se primario, sed per accidens, indirecte, & secundario respicitur; sed haec numero materia prima quatenus haec & individua non primario per se respicit accidentia ratione sui directe, sed potius indirecte per accidens, & ratione alterius, scilicet compositi: ergo non accipit suum esse indivi-

duum per ordinem ad accidentia, sed potius per ordinem ad suum proprium esse, & c.

Declaratur amplius, essentia hominis, v.g. non sumitur in ordine ad risibilitatem, neque in ordine ad suas proprietates, sed potius in ordine ad id, quod primario illi convenit: ergo similiter neque individuatio materiae, neque totius compositi potest sumi in ordine ad propria accidentia, quae secundario, & non primario eo quod accidentia sunt, conveniunt materiae, & composito.

Tandem; quia totum compositum tam absolutum est in essentia, quam in individuatione, eo quod individuatio in omnibus sequitur essentiam, quia est actus immediatus contrahens essentiam, contrahens enim, & contrahibile sunt in eodem ordine; unde si species ultima alicuius entitatis, ita est absoluta, ut nullo modo accipiat suum esse per ordinem ad aliud, neque differentia individualis recipit suum esse similiter per ordinem ad aliud, ut videre est in albedine; quae quia non recipit suum esse specificum per ordinem ad aliquod obiectum, non recipit suum esse individuale per ordinem ad obiectum; è contra vero, quia visio recipit suum esse essentiale per ordinem ad obiectum, etiam recipit suum esse individuale in ordine ad obiectum; sed totum compositum, v.g. homo non recipit suum esse specificum per ordinem ad accidentia, sed potius per ordinem ad formam substantialem: ergo similiter homo non accipit suum esse individuale substantiale per ordinem ad accidentia, sed potius per ordinem ad formam substantialem.

SUBSECTIO IV.

Confirmantur amplius dicta, & declarantur.

Quia singularitas, & individuatio Petri, v.g. 59 quae nihil aliud est, quam haecceitas, seu petitas illius non distincta ex natura rei ab essentia hominis, est singularitas substantialis, & a parte rei vera, & realis substantia, quia identificatur vere, & realiter cum essentia Petri; scilicet cum humanitate seu cum esse hominis; quod vere, & absolute res, & substantia est: ergo illa singularitas, seu individuatio completa est absoluta, & non respectiva singularitatis, quod & adversarij concedunt; nam faterentur ipsi, individuum completum non individuari ab ordine ad aliquod, quia in se absolutissima entitas est, & ratione naturali evidenter patet. Nam singularitas Petri est substantia completa a parte rei, & distinguitur ab individuatione huius relationis, huius actionis, & huius praesentiae, & exterorum relativorum transcendentia, quia relativa transcendentia individuatur per respectum ad terminum suae relationis transcendentis: ergo singularitas Petri, quae absoluta est, & non relativatranscendentaliter, non individuabitur ab ordine, vel respectu ad aliud a se distinctum, sed per se ipsum, & in ordine ad se est singularis sine ordine ad aliud, quia non est relativus transcendentaliter in ordine ad aliud, & idem est in Angelis, nam Gabriel non est talis, Angelus per ordinem ad aliud a se distinctum, quia in se non est respectivus transcendentaliter, ex eo quod substantia completa singularis est, quae

quæ ut talis semper est absoluta entitas in sua singularitate sine vilo ordine, & respectu ad aliud, & ratio à priori evidens est, quia eo modo, quo est essentia communis specifica, debet esse differentia individualis illius; tum quia differentia est quasi actus; & ratio communis ut potentia: tum quia illa est contrahens, & illa contrahibilis; actus enim, & potentia, contrahens, & contrahibile debent habere proportionem; unde quia actio ut sic est relativa transcendentalis; ita singularis actio debet esse similiter relativa transcendentalis; sed essentia hominis, & cuiuscunque substantiæ completa, v. g. homo ut sic, Angelus ut sic, &c. sunt essentiæ absolutæ, & minime relativæ transcendentaliter: ergo talibus essentis correspondent individuationes substantiales completæ absolute sine aliquo ordine transcendentali ad aliud, ita ut minime sumatur talis differentia individualis per respectum, seu ordinem ad illud; sicut quia eadem essentia hominis, ut sic, vel Angelus ut sic est substantia, Petreitas, vel Gabrieleitas, quæ sunt differentie contrahentes hominem, & Angelum, sunt substantiales, & non accidentales; e contra vero, quia albedo ut sic est accidens, correspondet illi differentia individualis, quæ non sit substantialis, sed accidentalis: ergo eodem modo, quia homo ut sic, & Angelus ut sic sunt essentiæ absolute sine relatione transcendentali, aut sine eo quod accipiant prædicata essentialia specifica per respectum ad aliquod accidens, Petreitas, & Gabrieleitas, quæ sunt differentie individuales correspondentes illis, erunt absolute singularitates sine ordine transcendentali à paritate rationis, & sine eo quod accipiant suum esse individuum; & singulare per respectum ad aliquod accidens, præcipue quia ut probatum est *disp. 1.* dum egimus de *Obiecto Metaphysice*, nulla substantia completa dicit ordinem, seu respectum ad accidens, uti est quantitas, quia res superioris ordinis non dicit relationem ad rem inferioris ordinis, videantur ibi late dicta: ergo singularitas substantialis Petri non potest sumi per ordinem transcendentalē ad hanc numero quantitatem.

Tunc sic, si materia prima, quatenus est principium intrinsecum individuationis Petri, per vos connotaret quantitatem, vel diceret ordinem ad illam, sumeretque individuationem per respectum ad ipsam, sequeretur evidenter, ipsam singularitatem completam Petri dicere ordinem transcendentalē ad quantitatem, sumereque suam individuationem per respectum ad ipsam; sed hoc est absurdum ut probatum manet: ergo absurdum est id, ex quo sequitur necessario hoc per evidentem consequentiam; sequela sic probatur manifeste, quia quotiescunque principium aliquod intrinsecum quatenus tale, & quatenus constituit ipsum principium, constituit per se ipsum, & ipsum respicit aliud per ordinem, connotationem, seu respectum transcendentalē, tale principium quatenus tale est, habet proprium esse per connotationem eandem, & per ordinem transcendentalē ad ipsum, ad quod refertur principium; sed materia prima quatenus principium est singularitatis, & individuationis Petri, v. g. habet suum esse per ordinem ad quantitatem: ergo ipsa singularitas Petri, quæ principium est à tali principio, constituiturque ab ipso, habebit sine dubio suum esse per con-

notationem ad quantitatem, & in ordine ad ipsam. Minor, & consequentia sunt evidentes: maior sic demonstratur, nam quia principium huius concreti, scientis, v. g. quod non est aliud, nisi scientia, & principium huius intellectivi formaliter, cuius principium intrinsecum sine dubio est intellectus, dicunt ordinem transcendentalē ad obiectum etiam sciens, & intellectivum, quæ sunt concreta constituta per illa principia, dicunt eundem ordinem, & specificantur ab obiectis, & accipiunt suum esse ab illis; sicut & principia eorundem. Item, quia unio materiæ ad formam ordinatur essentialiter ad formam, ipsa materia ut unita reduplicative, quæ constituitur formaliter per unionem dicit ordinem ad formam: ergo quotiescunque aliquod principium intrinsecum constitutum per proprium esse aliquius entis, habet suum esse per ordinem ad aliquem terminum, etiam principiatum per illud habet suum esse per ordinem ad eundem terminum; & ratio est manifesta, quia quidquid habet principium quatenus tale, communiceat principiato, & principiatum habet ipsum esse principij, quia principium exhibendo proprium esse principiato constituit illud: sed principium habet proprium esse per ordinem ad terminum: ergo principiatum habebit esse per eundem ordinem ad terminum.

Quod vergetur amplius in materia, de qua agimus, nam si individuum solum habet esse individui per vos à materia, & non à forma, nec ab unione: ergo solum habebit esse individuum, & singulare quatenus tale eo modo, quo principium adæquatum, & solum intrinsecum talis esse habet: sed materia prima est adæquatum principium talis esse individui formalissime, & habet suam individuum differentiam solum per ordinem ad quantitatem, &c. ergo etiam Petrus, v. g. quatenus talis habebit suum esse solum per ordinem ad quantitatem, &c. quod ut vidimus est absurdum.

Sed demus, quod compositum accipiat suam individuationem per ordinem ad aliud distinctum à se distinctione excludentis ab excluso, nihilominus non poterit sumere illud esse in ordine ad quantitatem, & accidentia: ergo falsa est sententia Adversariorum. Antecedens sic probatur, quia individuatō, & singularitas substantiæ completæ est substantialis; sed esse substantiale quatenus tale est, non potest sumi in sua prima constitutione per ordinem ad accidens: ergo singularitas, & individuatō substantiæ completæ quatenus talis non poterit sumi in ordine ad quantitatem quæ verum, & proprium accidens reale est. Minor sic probatur, quia quod prius est, non dependet à posteriori, sed substantia est prior accidente in omni genere: ergo singularitas compositi, quæ vera substantia est, non constituitur per ordinem ad accidens, neque dependet ab accidente tanquam à termino extrinseco; nam id, quod constituitur per ordinem ad aliud, dependet extrinsece ab ipso, ut videre est in potentia respectu obiecti, & in relatione respectu termini; sed substantia non potest dependere extrinsece ab accidente primario, & per se, quia est prior omni accidente, alias substantia esset simpliciter posterior, & accidens esset prius simpliciter; unde esset prior substantia, & non esset prior; esset prior, ut supponimus; non esset prior, quia esset posterior; esset posterior propter hanc rationem,

rationem, quia omne principium, siue sit intrinsecum, siue extrinsecum est prius principio. De intrinsecis patet: materia enim prima, & anima rationalis sunt principia intrinseca hominis, & sunt priores natura homini ipso; terminus est principium extrinsecum relationis prædicamentalis, & causa efficiens est principium extrinsecum effectus, & quia principia licet extrinseca, sunt priora effectu, & relatione; nam relatio non resultat, nisi prius ponantur fundamentum, & terminus, de causa efficiente evidens est: ergo omne principium siue sit intrinsecum, siue extrinsecum, erit prius principio; sed quantitas est principium extrinsecum individuacionis, & constitutionis singularitatis materie primæ, & compositi; nam illud est principium extrinsecum alicuius in ordine ad quod intrinsece constituitur principium, & ideo terminus est principium extrinsecum relationis, & obiectum potentie, quia in ordine ad illa constituuntur in sua prima constitutione relatio, & potentia; sed in prima sua constitutione quatenus singularis est materia prima, & quatenus primo, & per se est principium individuacionis compositi, constituitur per ordinem ad hanc numero quantitatem, & per connotationem ad ipsam: ergo hæc numero quantitas est principium constitutionis materie primæ; sicut terminus est principium constitutionis relationis.

Dices, quantitatem esse priorem intentione, & sic posse esse principium extrinsecum individuacionis materie primæ.

72 Contra primo: ergo quantitas est finis materie primæ, & compositi substantialis: sed hoc est summum absurdum: ergo non potest esse prior in intentione, quam ipsa materia prima. Prima illa consequentia sic patet; quia finis est prior in intentione, & media sunt posteriora eadem intentione, quia media ordinantur ad consequutionem illius, quod primo intenditur, & ideo media ordinantur ad finem, quia sunt rationes, quibus consequitur finis primo intentus, v. g. beatitudo nostra supernaturalis est prior in intentione, quam operationes virtutis, quia est finis consequendus per illas, & ad quem omnis operatio virtuosa dirigitur ut per illam talis beatitudo consequatur, & in Medico sanitas infirmi est prior in intentione omnibus medicinis, quia est finis illarum, ad cuius comparationem ordinantur omnes; vnde id, quod fuerit prius in intentione respectu alicuius, erit finis illius; sed materia prima comparata cum hac numero quantitate est posterior in intentione, & quantitas est prior in intentione: ergo quantitas est finis materie primæ, & compositi substantialis, & materia prima, & compositum erunt media ordinata ad hanc numero quantitatem. Illa minor prima sic probatur: omnis finis ex natura rei est perfectior medijs ordinatis ad illum ex natura sua, v. g. materia, & forma sunt media respectu compositi, & sic compositum est perfectius ipsis; omnes creaturæ sunt media respectu Dei, & Deus est finis omnium creaturarum, quem quis non videat infinita perfectione superare omnes creaturas; Item homo secundum illud Psalmi; *omnia subiecisti sub pedibus eius, volucres cali, pisces maris, &c.* est finis omnium, tam vegetabilium quam sensitivarum creaturarum &c. & ideo est perfectior omnibus illis: ergo omnis finis ad quem ex natura sua ordinantur media, ut ab ipso acci-

pian sunt esse, est perfectior omnibus illis ad talem finem per se primario ordinatis: sed per vos individua substantia completa quatenus talis ordinatur primario, & per se ad quantitatem, &c. ut ab ipsa tanquam fine, & termino, & ab ordine ad ipsam accipiat suum esse singulare substantiale: ergo quantitas erit perfectior simpliciter quam compositum substantiale individuum: sed hoc est summum absurdum; ergo summum absurdum est dicere substantiam completam compositam, v. g. Petrum, ita primario, & per se ordinari ad quantitatem, & cætera accidentia, ut per ordinem ad illa accipiat suam individuacionem substantialem.

73 Secundo contra, quia materia prima, & compositum substantiale sunt priora in intentione, quantitate, & omnibus accidentibus: ergo iterum quantitas non potest esse prior in intentione ipsa materia prima, & composito: hæc consequentia sic patet evidenter; quia idem non potest esse prius, & posterius in eodem ordine, alias sequeretur esse prius, & non prius, posterius, & non posterius simul in eodem ordine, ac proinde in ipso ordine idem esset, & non esset simul, quod est contra evidentissimum illud axioma, impossibile est idem simul esse, & non esse; illa autem sequela sic patet, quia id quod est prius, non est posterius, & id quod est posterius, non est prius: ergo si idem esset prius, & posterius in vno, eodemque ordine: ergo in eodem ordine idem esset prius, & non prius, quod etiam exemplis illustratur. Nam in divinis, quia Patet æternus est prior origine filio, & quia omnis causa est prior natura suo effectu, non potest esse posterior natura eodem: ergo in eodem ordine non potest esse idem prius, & posterius. Antecedens primum sic probatur; quia omnia accidentia habent in vestra sententia pro principali Analogato substantiam, imo ideo habent esse accidentia, ut deserviant substantiæ, tanquam aliquid illius, à quo à priori dependent absolute, & simpliciter ad ipsumque ordinantur, ita ut si impossibilis esset substantia impossibilia essent accidentia; quia totum suum esse habent propter substantiam, & ita conservantur, & existunt cum maxima dependentia ab illa, ideoque vocantur entis entia, ad ipsamque substantiam, tanquam ad finem ultimum ordinantur, quod expresse protulit Aristoteles in metaphysica agens de substantia, & de ordine, & attributione accidentium ad illam his verbis: non vero si quispiam, & his illud accommodatum debet indicare substantiam, finem ultimum eorum, quæ accidentia dicuntur, & capite de Substantia in Logica aperte significat accidentia ordinari ad substantiam tanquam ad mensuram illorum. Idem sentit D. Augustinus in categoria de substantia, ubi asserit, substantiam esse finem propter quem habent esse accidentia, & esse ultimum terminum ad quem diriguntur, & ordinantur omnia illa D. August. & Aristotelem sequuntur omnes Doctores, tam Theologi, quam Philosophi in hoc omnes unanimi consensu conspirantes, à quorum autoritate discedere nefas debet iudicari, cum tantum pondus autoritatis evidenti, ac clarissime rationi nitantur, quia perfectio substantiæ excedit nimium quantum accidentia, accidentiaque ex natura sua deserviunt substantiæ ut ipsam circumflectant, ab ea serviant substantiæ ut ipsam circumflectant, ab ea que dependeant in esse, fieri, & conservari, quodum

Quæst. III. Vtrum materia signata, &c. 297

rum simpliciter dependentia à priori evidentissimè indicat, & convincit, non propter aliam rationem habere esse accidentia, nisi propter substantiam, ad cuius servitium ordinantur, ac proinde evidenter colligitur naturam ideo tribuisse esse accidentibus, quia primo intenderat substantiam; unde substantia finis sine dubio erit primo intentus; accidentiaque quasi media ad ipsam; ergo substantia est prior intentione, quam accidentia, quæ ordinantur ad talem substantiam, tanquam ad finem: ergo in eodem ordine intentionis non possunt esse accidentia priora substantia, quia idem non potest simul esse prius, & posterius in eodem ordine causæ, alias esset prius, & non prius, ut diximus, & erit finis, & non finis, quod est summum absurdum.

74 Secundo idem probatur quod supra; nam si accidens, v. g. hæc numero quantitas esset principium extrinsecum, id est terminus ordinis transcendentalis, per quem constituitur primò materia prima in esse singularis, existentiæ materiæ primæ esset posterior existentia quantitatis, unde prius existeret quantitas, quam materia prima, quod quam sit absurdum ipsa experientia evidenter convincit; Quod autem si existentia esset prior, existeret prius, patet manifeste. Quia nihil aliud est existere prius alio, nisi prius habere existentiam, quam aliud; sed in illo casu quantitas haberet prius existentiam, siquidem prior esset existentia huius, quam illius: ergo in illo casu prius existeret quantitas, quam materia prima. Inconveniens illud primum sic probatur: quia quantitas existentia esset principium existentia singularis materiæ primæ; sed omne principium est prius principiato: ergo existentia quantitatis esset prior existentia singularitatis materiæ primæ, quia existentia quantitatis est principium, in ordine ad quod sumit suum esse singularitatis existentia materiæ primæ, seu existentia singularis ipsius. Hæc maior sic probatur: quia accessorium sequitur principale, & modus sequitur modum, cuius modus est; sed existentia est modus essentia, & accessorium respectu illius: ergo debet sequi essentiam in sua constitutione; atqui singularitas materiæ primæ habet pro principio individuationis extrinsecum hanc numero quantitatem, cum in ordine ad ipsam accipiat suum esse: ergo existentia singularitatis; seu individuationis materiæ primæ sumitur in ordine ad existentiam quantitatis, unde de existentia quantitatis erit principium existentia singularitatis materiæ primæ; præcipue quia non est maior ratio, quod singularitas materiæ primæ sumatur in ordine ad quantitatem, & existentia singularitatis illius non sumatur in ordine ad existentiam singularitatis quantitatis, quod exemplo evidentissimò patet; nam quia essentia relationis, v. g. Paternitatis sumitur in ordine ad filium vel ad genitum: eodem modo existentia paternitatis sumitur in ordine ad existentiam filij, vel geniti, & quia existentia paternitatis sumitur in ordine ad existentiam illius termini, existentia geniti, vel filij est principium existentia paternitatis; unde prior est existentia geniti existentia paternitatis, ac proinde prius existit genitum, quam paternitas, quia ex fundamento existente, & termino existente resultat illa; sed similiter singularitas materiæ primæ sumitur in ordine ad quantitatem: ergo existentia singularitatis materiæ primæ sumitur in ordine ad existentiam quantitatis.

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tis, & sic existentia quantitatis erit prior existentia materiæ primæ; sed non erit prior in intentione, ut probatum est: ergo erit prior designatione: ergo prius existeret quantitas, quam materia.

75 Tercio probatur idem cum P. Hurt. ad hominem contra Caietanum, quia idem Thomistæ affirmant, & Caietanus cum illis quantitatem, & omnia accidentia individuari in ordine ad subiectum: ergo subiectum non individuatur in ordine ad quantitatem, quia committeretur circulus; nam inquirendo individuationem materiæ recurrit ad singularitatem quantitatis; de hac autem rogatus confugit ad singularitatem materiæ: eodemque revolveris; rogo igitur rationem huius individuationis; quæ si est à substantia huius materiæ: ergo iam universalitas materiæ non singularizatur per quantitatem, quod si per eam singularizatur: ergo quantitas non singularizatur per materiam, quia materia per te totam singularitatem suam mutuatur à quantitate; unde ergo quantitas habet individuationem? quorsum ergo affirmas omne accidens individuari à subiecto?

76 Deinde si materia accipit intrinsecam individuationem in ordine ad quantitatem, non poterit eidem quantitati ullam individuationem communicare, nisi quam ipsa ab eadem accipit quantitate: ergo quantitas non individuatur à suo subiecto, sed à se ipsa præcipue, quia si quantitas individuatur à subiecto: ergo subiectum communicat quantitati propriam suam individuationem subiecti: ergo quando eadem materia prima accipit individuationem à quantitate, recuperat eam, quam illi tribuerat: ergo recuperat materiam suam singularitatem, de hac rogo quid sit?

77 Argumentor principaliter, quia materia prima respicit tanquam primarium terminum suæ relationis formam substantialem, & tanquam secundarium accidentalem, v. g. hanc numero quantitatem: ergo suam singularitatem potius sumit in ordine ad formam substantialem, quam in ordine ad quantitatem, potiusque constituitur in suo esse singulari per ordinem ad hanc numero formam, quam ad hanc numero quantitatem; hæc consequentia sic demonstratur; quia constitutio primaria alicuius primarij entis debet sumi necessario in ordine ad primarium obiectum, seu terminum, quam in ordine ad secundarium, & in obliquo connotatum; sed singularitas materiæ primæ quatenus singularitas substantialis, constitutioque illius est primaria constitutio primarij entis, & hæc numero forma est primarium obiectum, seu primarius terminus, & hæc numero quantitas est secundarius terminus: ergo constitutio materiæ primæ in esse substantia singularis, & individua tanquam constitutio primarij entis (substantia enim comparata cum accidenti est, & vocatur merito primarium ens, accidens vero est secundarium, & sic constitutio substantia est constitutio primarij entis) debet necessario sumi ab ordine, & connotatione ad hanc numero formam substantialem potius, quam in ordine ad quantitatem, supposito quod materia prima debeat sumere suam individuationem in ordine ad aliud, quod an verum sit, postea videbitur: hæc maior sic probatur, quia scientia divina respicit ut primarium obiectum Deum, & secundarium creaturas, minime constituitur in esse sapientis per connotationem ad obiectum secundarium, sed potius per connotationem ad obiectum

P p ctum

Deum primum, quod est Deus, & quia charitas respicit ut obiectum primum Deum, & secundarium creaturas, non constituitur in esse charitatis per ordinem ad creaturas primum, & per se, sed potius per ordinem ad Deum, & sic vocatur & est virtus Theologica, id est virtus agens de Deo, cuius totum suum esse tendit in illum, & visio beatifica tendit in Deum ut in obiectum primum, à qua tendentia constituitur primum in esse beatitudinis, & visionis beatificæ, & non per ordinem ad creaturas, quæ sunt obiectum secundarium talis visionis, alias primum, & formaliter non esset beatitudo, quæ ex sua intrinseca ratione petit esse consequentem formalem ultimi finis, qui est Deus. Tandem intellectus habet pro obiecto primum ens reale, & pro obiecto secundario ens rationis, de quo nullus potest dicere, quod specificetur, & sumat suum esse primumque constituitur per ordinem ad ens rationis, & non ad ens reale, quod est primum obiectum.

78 Et ratio evidens à priori est, quia constitutio primaria alicuius relativi transcendentalis debet esse per primariam relationem, & per primariam constitutionem, quia constitutio est per id, quod datur in constituto, vel per id, quod pertinet ad illud: ergo primaria constitutio debet esse per id, quod primum est in constituto, & per id, quod primum pertinet ad ipsum; sicut v.g. quia constitutio hominis in esse hominis est primaria tam physice quam metaphysice, est per id, quod primum reperitur in constituto, metaphysice per animal, & rationale, physice per materiam, & formam rationalem, de quibus prædicatis tam physiceis, quam metaphysiceis, nullus potest dubitare, quod primo reperiantur in homine, & ratio est, quia sicut se habet id, quod est in constituto ad constitutionem ut sic, ita se habet, quod primum est in constituto ad primariam constitutionem illius, sicut quod secundario reperitur in constituto ad secundariam constitutionem; sicut albedo, quia secundario reperitur in homine, secundario constituit ipsum: ergo quod primum reperitur primario constituit, & primum pertinet ad primariam constitutionem, alias nihil esset à quo primum aliquid constitueretur: nam vel esset, quod reperitur in subiecto ut sic, & hoc non, quia hoc constituit ut sic, vel esset quod secundario reperitur in constituto, & hoc etiam non, quia pertinet ad secundariam constitutionem, & per vos non primum constituit quod primum reperitur in constituto: ergo nihil est, quod possit id primum constituere, quia non est medium inter esse ut sic in constituto primum esse, & secundario existere in ipso: ergo ne hoc absurdum sequatur, videlicet quod nihil primum constituat, alias nulla erit, & nihil primum constitutum, quod est absurdum, & contra evidentem experientiam, dicendum est primum constitutum constitui per id, quod primum est in constituto, & primum pertinet ad ipsum; sed in materia prima, quæ constituta est in esse singularis primum est connotatio ad formam substantialem, quam connotatio ad formam accidentalem, ut est quantitas. Item primum pertinet ad materiam primam formam substantialem, & secundario pertinet forma accidentalis, quæ quantitas est: ergo primaria constitutio materie primæ inesse individue substantialiter sumitur in ordine ad formam substantialem, quam in or-

dine ad formam accidentalem, qualis est quantitas.

Confirmatur, id quod in executione est primum, & principalius, est etiam in intentione primum; sed forma substantialis in executione, & dum actu existit, est primaria, & principalior ad individuationem compositi: ergo in intentione est etiam primaria, & sicut quantitas in executione est secundaria; sed materia prima debet sumere suam individuationem ab eo, quod est primum, & non ab eo, quod secundarium est, tam in intentione, quam in executione: ergo debet sumere illam à forma substantiali, & non à quantitate.

SVBSECTIO V.

Ultimum argumentum principale ponitur, & quidem efficacissimum in hac materia.

Ultimo argumentor sic, & ante probationem 79 adverto, quod in sententia Thomistica materia prima non est immediate, ac primum causa activa, vel passiva quantitatis, quia neque efficit neque recipit quantitatem, quia quantitas recipitur in toto composito, & sic vel producitur ab illo, vel à generante, quod probabilius iudicant Thomistæ, ex quo sequitur aliud maxime notandum, quod in illorum sententia materia prima prius respicit formam substantialem, quam quantitatem, tam ordine intentionis quam executionis, quia formam substantialem respicit per se tanquam finem, & primum; formam autem accidentalem secundario, & per accidens. Tunc sic argumentor, Materia prima respicit prius hanc formam equi, quam hanc quantitatem: ergo non est hæc materia ratione huius quantitatis. Probatur consequentia; materia pro illo priori pro quo respicit hanc formam equi, & pro quo non intelligitur respicere hanc quantitatem, est hæc formaliter: ergo non est hæc ratione quantitatis. Antecedens probatum est iam, quia materia prima respicit hanc formam equi ut causa illius: sed omnis causa propter talis, est singularis, & individua: ergo materia prima pro illo priori, pro quo respicit hanc numero quantitatem, est hæc singularis, & individua, & ita intelligitur: ergo non ratione quantitatis. Probatur consequentia, omne illud, quod pro aliquo priori habet effectum aliquem formalem, vel quasi formalem, non potest habere illud ab aliquo posteriori, quod non intelligitur pro illo priori; sed materia prima pro illo priori pro quo respicit hanc formam substantialem, habet effectum formalem singularitatis, & individuationis, & quantitas est posterior, & non intelligitur pro illo priori: ergo materia prima pro illo priori non habet effectum formalem singularitatis, & individuationis à quantitate: ergo est individua ratione sui.

Dices, quod materia prima pro illo priori respicit quantitatem virtualem, licet non respiciat quantitatem formalem.

Sed contra primo, quantitas virtualis est eadem materia prima ut explicant adversarij; sed materia prima est hæc ratione quantitatis virtualis: ergo est hæc ratione propriæ entitatis, quod maxime abhorrent adversarij. Maior est sententia adversariorum, ut dictum est, & etiam minor;

Quaest. III. Vtrum materia signata, &c. 299

minor: consequentia inferitur manifeste, & potest probari ex simili in alio argumento, vt si aliquis, v.g. mihi negaret, quod hoc album non constituitur per hanc qualitatem, & praeterea assereret hoc album constitui per hanc albedinem; & hanc albedinem esse qualitatem hanc, manifeste probarem intentum hoc modo: Hoc album per te constituitur per hanc albedinem; sed hanc albedo per te est hanc qualitas: ergo hoc album constituitur per hanc qualitatem. Similiter formatur argumentum, hanc quantitas virtualis per te est entitas materiae primae; sed per te hanc materia prima constituitur in ratione singularis, & individuatur per hanc quantitatem virtutalem: ergo materia prima constituitur in ratione singularis, & individuatur per entitatem ipsam materiae primae.

81. Contra secundo: ergo materia prima est individua ratione totius compositi: patet consequentia. Materia prima est individua ratione quantitatis radicalis, seu virtualis; sed quantitas radicalis est totum compositum: ergo ratione totius compositi materia prima est hanc, & individua. Probat minor, illud est quantitas radicalis, & virtualis, quod est causa quantitatis formalis; sed in sententia contrariorum causa quantitatis formalis est totum compositum: ergo totum compositum est quantitas virtualis, seu radicalis: ergo principium radicale est totum compositum substantiale, quod negant aduersarij, & nos intendimus. Confirmatur, principium distinctionis mere numerallis conuenit formaliter quantitati secundum aduersarios, & ratione illius conuenit causae, & principio quantitatis formalis; sed causa, & principium quantitatis formalis secundum illos est totum compositum substantiale: ergo toti composito substantiali conuenit esse principium distinctionis mere numerallis.

82. Confirmatur, quia prius materia est hanc forma equi virtualiter quam hanc quantitas: ergo adhuc est hanc materia prima positive ratione formae substantialis; antecedens est evidens: illud est prius virtualiter aliqua causa, quod prius respicit; sed prius respicit materia prima hanc formam equi virtualiter quam hanc quantitas: ergo prius est materia prima hanc forma equi virtualiter, quam hanc quantitas virtualiter. Maior est evidens, quia in tantum dicitur causa virtualiter effectus in quantum continet, & respicit effectum producendum: ergo si prius respicit hunc effectum, quam illum, erit hic effectus prius virtualiter, quam ille. Minor est sententia aduersariorum, tunc sic; vel esset materia prima hanc numero positive ratione quantitatis, quatenus est apta recipere quantitatem, & formam substantialem, vel quatenus recipit actualiter utramque; sed nec primo nec secundo modo: ergo, &c. Probat minor, quia utroque modo prius respicit hanc formam substantialem, quam accidentalem; sed in quantum respicit hanc formam substantialem, pertinet positive ad hoc compositum: ergo ratione formae substantialis materia est hanc positive.

83. Confirmatur, ideo materia prima respicit hanc quantitas, quia respicit hanc formam substantialem: ergo principium vltimum radicale individuationis materiae est forma substantialis. Probat consequentia: illud est principium vltimum radicale individuationis materiae, in quo vltimo sistimus ad colligendam individuationem illius; sed in forma substantiali ita vltimo sistimus.

P. R. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

mus: ergo forma substantialis est principium vltimum radicale individuationis materiae primae. Probat minor: ideo materia prima est hanc positive, & formaliter secundum aduersarios, quia respicit hanc quantitas; sed ideo respicit hanc quantitas, quia respicit hanc formam substantialem: ergo vltimum in quo sistimus ad colligendum principium vltimum radicale individuationis materiae est forma substantialis. Maior est sententia aduersariorum. Probat minor, & sumamus materiam primam ligni, quatenus est eadem negative, & praecedit alias formas solo numero distinctas, quibus potest informari: vel sume materiam primam separatam a Deo ab omni forma, tam accidentali, quam substantiali. Tunc sic argumentor. Illa materia prima sic considerata respicit hanc formam ignis, & quantitatem hanc: ergo vel respicit illas vt terminos disparatos, vel vt terminos connexos; sed non vt terminos disparatos, vt aduersarij fatentur, & est evidens: ergo vt terminos connexos, & subordinatos, sed non respicit prius hanc quantitatem: ergo respicit prius hanc formam substantialem ignis. Antecedens est sententia aduersariorum; quia inter terminos vnus respicitur prius, quam alius, & ille respicitur prius, qui est principalior; sed forma substantialis est principalior terminus: ergo prius respicitur, & id concedunt aperte aduersarij, imo existimant contrarium esse implicitorium: ergo materia prima respicit hanc quantitatem ratione huius formae substantialis: ergo individuatur ab hac forma substantiali.

Dices, quod materia prima respicit prius formam substantialem in genere causae formalis, & respicit prius quantitatem in genere causae materialis, & dispositivae, quia quantitas, & forma substantialis sunt sibi invicem causa, & sic sunt prior, & posterior; atque ideo non est mirum quod individuatur materia a quantitate, vt a dispositione, & a forma substantiali, vt a causa formali.

Sed contra, & in primis hanc opinio de mutua causalitate impugnata est iam a me lib. 2. *Physicor. disp. vltima, q. 3.* sed ea gratis admissa ita impugnatur solutio; primo materia prima individuatur a forma substantiali, & a quantitate, & per consequens compositum individuatur a materia informata forma substantiali, & a materia signata quantitate: ergo in loquutione absoluta dicendum est, quod principium intrinsecum individuationis radicale est hanc materia informata hac forma substantiali potius quam materia signata quantitate. Antecedens est solutio aduersariorum: consequentia probatur; quia totum hoc solum materia prima informata hac forma substantiali, est quid substantiale intrinsecum, & physicum; sed hic quaerimus de principio substantiali intrinseco, & physico: ergo materia informata hac forma substantiali est principium intrinsecum individuationis huius compositi. Maior est evidens; quia quando dicimus, materia signata quantitate, solum materia prima est quid substantiale, & intrinsecum; quantitas autem solum se habet vt terminus, & est extra totam essentiam compositi: ergo solum totum hoc, materia prima informata hac forma substantiali est quid substantiale physicum, & intrinsecum composito. Minor est evidens, & conceditur ab aduersarijs, & constat ex expositione tituli quaestionis, ergo quando quaerimus de principio intrinseco individuationis compositi substantialis di-

cendum est esse hanc materiam informatam hac forma substantiali, vel dicendum est esse duplex principium individuationis, aliud principale totum intrinsecum, & substantiale, & aliud minus principale, & non totum intrinsecum, quod est materia signata quantitate: ergo in loquutione absolute potius est assignandum pro principio individuationis intrinsecum compositi materia prima informata forma substantiali.

86 Secundo illa quantitas est prior in genere causae materialis forma Petri, v.g. quae est dispositio ad formam Petri, sed materia prima non est determinata hae positive ratione quantitatis, quae est dispositio, & quae non est propria Petri: ergo quantitas Petri nullo modo est prior forma Petri. Maior est solutio Adversariorum, quia in tantum quantitas est prior forma substantiali, in quantum est dispositio ad illam. Probatur minor: quantitas, quae est dispositio ad formam Petri est quantitas embryonis; sed ratione quantitatis embryonis materia prima non est hae positiva Petri: ergo quantitas, quae est dispositio, non est ratione, cuius materia prima est hae positive Petri. Maior est evidens, quia ante generationem Petri supponitur omnis dispositio, quae est necessaria ad illam; & sic fatentur Thomistae accidentia, quae fuerunt in corrupto, fuisse dispositiones ad formam geniti. Probatur minor; ratione illius quantitatis materia est hae numero positive Petri, ratione cuius est determinata ad hoc individuum potius, quam ad aliud; sed ratione quantitatis embryonis non est determinata materia prima ad hoc individuum, Petrum scilicet potius, quam ad aliud: ergo ratione quantitatis embryonis non est materia prima determinata hae positive Petri. Maior est sententia adversariorum quam impugnamus. Probatur minor. Materia embryonis quae disponitur ad formam Petri poterat disponi naturaliter ad aliam formam specie distinctam in casu quo moreretur mater ante formationem foetus; vel in casu, quo faceret abortum: ergo materia ratione quantitatis embryonis, non est determinata ad hoc individuum potius, quam ad aliud: ergo quantitas illa, quae est propria Petri, & ratione cuius materia prima potius pertinet, quam ad aliud, nullo modo est prior quam forma Petri. Probatur consequentia, quia in tantum per vos quantitas est prior, quam forma Petri, in quantum est dispositio ad formam Petri: sed quantitas, quae est dispositio ad formam Petri, non est quantitas propria Petri, sed est quantitas propria formae embryonis, & indifferens in ratione dispositionis ad alias formas numero, & specie distinctas: ergo quantitas, quae est propria Petri, nullo modo est prior, quam ipsa forma Petri, quia illa quantitas est propria Petri, quae recipitur in ipso, & semper est posterior ipso Petro, & forma illius: ergo forma Petri nullo modo individuatur à quantitate Petri: patet consequentia ultima, in tantum forma Petri individuaretur à quantitate Petri, in quantum quantitas Petri esset prior, quam forma Petri, saltem dispositive, & materialiter, ut asserunt Adversarii; sed quantitas Petri nullo modo est prior forma Petri, ut probatum est: ergo nullo modo forma Petri individuatur à quantitate Petri; & hoc ipso impugnatum manet, quod alij asserunt de materia sub determinatis dimensionibus, quia illae dimensiones determinatae sunt quantitas tantae longitudinis, latitudinis, & profunditatis; sed quantitas tantae longitudi-

nis, latitudinis, & profunditatis est sub forma viventis, & embryonis, & materia embryonis adhuc sub illis dimensionibus est indifferens.

Respondent ulterius quod iste effectus formalis 87 provenit ab alijs dispositionibus tanquam à conditione, sine qua non, & termino extrinsecus; à quantitate vero tanquam à ratione formali; sed contra, quia tam terminus extrinsecus est quantitas respectu principij individuationis rei substantialis, sicut cetera accidentia: ergo si cetera accidentia sunt tantum conditio sine qua non principij rei substantialis, ita similiter erit quantitas. Antecedens est evidens, quia sicut materia prima est virtualiter quantitas, quia continet quantitatem; ita similiter, & raritas, densitas, &c. accidentia, quia etiam continet illa virtualiter, & dicit etiam ordinem ad illa: ergo eodem modo se habet ad quantitatem sicut ad cetera accidentia: ergo si cetera accidentia sunt tantum conditio sine qua non, & terminus extrinsecus principij individuationis rei substantialis; ita similiter erit quantitas.

SVBSECTIO VI.

Amplius confirmantur dicta.

88 **Q**uia potentia materiae primae primario, ac per se respicit actum substantialem, ut iam dixi, & principalius, quam actum accidentalem quantitatis: ergo etiam determinatur eius potentia principalius ad hunc actum substantialem, quam ad hunc actum accidentalem quantitatis: ergo non signatur seu determinatur ad hanc formam per potentiam ad hanc quantitatem. Prima consequentia patet, tum quia potentia determinatur ad actum modo sibi proportionato; si ergo potentia ipsa substantialis est, & non accidentalis, ac proinde non respicit actum accidentalem, nisi medio substantiali, non determinatur, nisi cum eadem habitudine, & proportionem. Tum etiam quia ut iam saepe dixi, iuxta sententiam horum Authorum in re ipsa materia non recipit hanc quantitatem, nisi mediante hac forma, & quia respicit hanc formam, ideo recipit hanc quantitatem: ergo similiter in potentia non determinatur eius capacitas ad hanc quantitatem, nisi quatenus determinatur ad hanc formam; idemque argumentum procedit iuxta aliam formam loquendi Caicani, de materia ut praehabet quantitatem, quia materia non praehabet illam nisi in quantum praehabet formam, ad quam sequitur quantitas: ergo nec praehabet hanc quantitatem cum his dispositionibus, nisi in quantum praehabet hanc formam ad quam sequuntur hae quantitas, & hae dispositiones: ergo non potest sigillari ad hanc formam per hoc, quod praehabet hanc quantitatem.

Denique ut bene ait P. Suarez, eadem forma 89 argumentandi procedit contra aliam loquutionem de materia disposita per ultimam dispositionem; quia materia non determinatur ad talem dispositionem ultimam, nisi mediante forma; supponimus enim non recipi in illa, sed in composito: ergo non potest materia sigillari, vel per habitudinem ad talem dispositionem, vel per ipsam dispositionem ut acta recepta, quae utroque modo procedit simpliciter determinatio, huius materiae ad hanc formam, tam secundum habitudinem, quam secundum

Quaest. III. Vtrum materia signata, &c. 301

secundum actuale receptionem; procedit autem hæc ratio de dispositione vltima, quæ est in instanti generationis, & consequitur formam; quod autem materia prius respiciat formam substantialem: sic patet primo, quia actus, & potentia, quæ primo inter se ordinantur, sunt in eodem gradu essendi; sed materia prima, & forma substantialis sunt in eodem gradu essendi, quia sunt substantia essentialiter ambæ; ergo inter se se primo ordinantur essentialiter, ac per consequens materia prima, & per se respicit formam substantialem, nam materia prima specificatur essentialiter ab illa forma, seu actu cum qua componit per se, & essentialiter vnum totum per se; sed cum forma substantiali componit totum substantiale, & essentialiter, cum quantitate autem vnum ens per accidens: ergo materia prima specificatur à forma substantiali: ergo primario, & per se respicit illam. Deinde quia opponendo aduersarij hoc argumentum; quia potentia materiæ ad quantitatem recipiendam est in genere quantitatis, quoniam potentia, & actus sunt in eodem ordine, vt Aristoteles ait 10. *Metaphysica*: ergo neque illa potentia ad quantitatem potest intrinsece pertinere ad principium individuationis substantiæ, alias individuum substantiæ non esset per se vnum; constaret enim ex rebus diversorum prædicamentorum. Ipsi aduersarij sic respondent, potentiam pertinere ad genus sui actus primarij, ad quem per se primo ordinatur, & à quo suo modo sumit speciem; materia autem non est ita potentia ad quantitatem, vt per se primo ad illam ordinetur, sed ad formam substantialem, & ideo necesse non est, vt ad prædicamentum quantitatis pertineat: ergo ex sententia, & verbis aduersariorum materia non respicit primario quantitatem; sed formam substantialem, & ratio est, quia potentia substantialis passiva per se primo, & essentialiter respicit formam substantialem, & quasi consequenter accidentalem, vt est quantitas: ergo præcipue sumitur individuatō materiæ non ab hac quantitate, sed potius ab ordine ad hanc formam substantialem, si necessario debeat sumi ab ordine ad aliud.

⁹⁰ Explicatur amplius, quia hæc materia prima, non solum prius respicit formam substantialem, quam accidentalem, sed etiam prius naturam recipit, & subiectat in se formam substantialem, quam accidentalem, quia per se forma recipitur in materia corruptis omnibus accidentibus: ergo prius natura, quam sit quantitas in materia, est singularis per ordinem ad formam substantialem. ⁹¹ Deinde, quia non solum ratio potentiæ specificæ, & essentialis est substantialis in materia prima: sed etiam individua, & singularis ratio potentiæ est substantialis in illa: ergo si ratio specifica potentiæ in materia prima non potest sumi ab accidenti, quia est substantialis talis potentia, similiter individua ratio potentiæ in materia prima non poterit sumi ab accidenti; quia talis individua ratio potentiæ est substantialis, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: ergo debet sumi ratio individua potentiæ substantialis ab individuo actu substantiali: sicut specifica ratio potentiæ substantialis, quia talis est, sumitur ab actu specifico substantiali.

Dices, quantitatem præcessisse in materia, ac proinde determinasse illam, &c.

⁹² Contra; quia præcessit cum alia forma sub-

stantiali prius introducta, quam quantitas, de qua redit idem argumentum, donec sistamus in prima generatione elementorum, in qua forma substantialis per se prius natura producta fuit in materia, quam quantitas, ita vt vtrique entitas prius natura fuerit producta realiter, quam quantitas, materia nimirum, forma substantialis cum sua vnione, quia ipsa subiectatur in toto composito per vos: ergo prius natura realiter fuit individuum singulare, & materia singularis, ac forma singularis, quam hæc numero quantitas, quia nunquam res producitur, nisi vt singularis, cum à parte rei nihil reale sit vniuersale: ergo materia prima si est principium individuationis est nuda, cum ordine ad hanc formam potius quam in ordine ad quantitatem.

Quod sic tandem demonstro, quia materia præcise in exequutione in instanti generationis, in quo per vos est nuda ab omni accidenti cum hac numero forma substantiali sufficienter, & adæquate constituit hoc individuum completum, v.g. Petrum sine eo quod ad talem constitutionem in exequutione, & actu exercito concurrat aliquomodo actualiter quantitas, tum quia prius natura vt diximus, quam dantur accidentia ex præcisa vnione materiæ, & formæ substantialis, resultat hoc individuum substantiale: v.g. Petrus, tum etiam, quia si à me abstrahantur v.g. omnia accidentia, sine illis potero conservari per potentiam Dei absolutam; nam in eo casu esset vera essentia substantialis composita, nam ex actu, & potentia substantialibus vnitis resultat vna essentia composita; atqui illa essentia sine accidentibus existens, non esset sine singularitate, alias singularitas distingueretur realiter ab essentia rei, siquidem talis res existeret, non existente sua singularitate realiter, & etiam, quia iam existeret vniuersale à parte rei.

Tunc sic: illud individuum substantiale compositum sine accidentibus vel pro priori naturæ, quo in instanti generationis antecedit quantitatem, & dimensiones sufficienter inadæquate est individuum verum substantiale: ergo vt sic habet omnia sua constitutiva intrinseca sufficienter ad illam constitutionem; quia constitutum intrinsece nullo modo potest esse, nec concipi sine omni constituto intrinseco, à quo intrinsece, & substantialiter constituitur, & sic alium non potest concipi sine albedine, aut sine subiecto, aut sine vnione inter vtrumque, & homo non potest esse, nec concipi sine materia, aut forma, aut vnione: ergo similiter hoc individuum substantiale completum nec poterit esse, nec concipi sine omnibus constitutivis intrinsecis sufficientibus ad illam constitutionem; atqui pro illo priori naturæ, vel in illo casu miraculoso existit totum individuum substantiale completum: ergo existunt omnia constitutiva intrinseca sufficientia ad constitutionem illius sine eo quod deficiat aliquod necessarium ad illam; atqui in illo casu præcise dantur materia, forma, & vnio substantialis, & nulla est quantitas, neque accidens: ergo sola materia, forma, & vnio præcise concurrunt in actu exercito, & in exequutione ad primariam constitutionem individui completi, in quantum individuum est, sine eo quod ad talem constitutionem concurrat in actu exercito, & in exequutione actualiter, quantitas, aut aliud accidens, quia accidentia illa vti secundaria entia sunt comparata cum substantia, quæ primarium ens est.

sunt secundario constitutiva, & sic secundario constituunt in executione supponendo primariam constitutionem completam, & sufficientem; unde materia prima solum cum forma substantiali, sine quantitate primario constituit individuum: ergo talis materia non est principiativum, & ut melius loquar principium constitutivum in actu primo, connotando quantitatem, & accidentia; & per ordinem ad illa: patet hanc consequentiam; quia quando aliquid est tale in ordine ad aliud in actu primo, quando reducitur ad actum secundum; illud quod per se in actu primo erat tale per se adiuvatur, & primario ab illo in ordine ad quod in actu primo constituebatur in esse talis, quod sic evidenter demonstratur exemplis, causa activa constituitur primario in esse talis in actu primo per connotationem ad actionem, quia agens in actu primo nihil aliud est, quam potens agere, sic in actu secundo per se constituitur ab actione in executione in ordine ad quam constituebatur in actu primo; & sic actio actualis constituit per se agens in actu exercito. Item materia prima, & forma substantialis, quia in actu primo constituebantur in esse compositivum compositi in actu exercito, & in executione actualiter, conducit per se unio, seu compositum ad primario, & per se componendum compositum; similiter, quia intellectus in actu primo constituitur primario, & per se per connotationem, & ordinem ad intellectionem in actu exercito, & in executione, quando reducitur ad actum secundum illius actus primi per se constituitur in esse talis per actuale intellectionem, intelligens enim est actus secundus actus primi constituti per ordinem, & connotationem primario ad intellectionem, hoc est intellectivi; sed intelligens, ut tale constituitur per intellectionem per se; ergo iam in actu secundo constituitur primario, & per se per id in ordine ad quod per se constituebatur in actu primo.

94 Tandem, & alius, quia anima rationalis, & Angelus constituuntur in ordine supernaturali per ordinem ad beatitudinem, & gratiam supernaturalem, ideo quando actu eis infunditur gratia, & beatitudo supernaturalis, actu constituuntur per se, & in actu exercito in esse filiorum Dei, & in esse supernaturali, qui sunt actus secundi per se talis elevationis, vel ordinationis ad gradum supernaturalem; sed materia prima in actu exercito, & in actuali executione non constituitur formaliter per se, nec primario adiuvatur in esse actu componentis, principiantis, ac constituentis individuum completum substantiale à reliquis accidentibus simul cum quantitate: ergo materia prima non est principium in actu primo individuationis substantialis huius compositi per ordinem, & connotationem ad quantitatem. Hanc minor patet manifeste, quia prius natura quam adveniat quantitas, & accedant reliqua accidentia est constitutum individuum substantiale præcise per materiam primam, formam substantialem singularem, & unionem inter ipsas, & in sic composito individuo subiectatur quantitas, ab eoque fluit, ac dimanat: ergo potius hæc materia prima in ordine ad hanc formam substantialem, quam in ordine ad quantitatem est principium individuationis.

95 Ultimo principaliter argumentor cum Scotis; quia impossibile est, quod id, quod dependet à posteriori sit idem à priori naturaliter, & maxime

quando est prioritas secundum rem; quia tunc idem esset prius, & posterius respectu eiusdem, quod implicat; sed substantia est prior quantitate etiam per adversarios: ergo id, quod est causatum per quantitatem, sive præexistens naturam quantitatis, ut est hæc signatio in materia, & capacitas quantitatis, non potest esse idem realiter substantiæ, alioquin esset prior, & posterior quantitate realiter, uno hæc signatio haberet esse ante causam suam, scilicet ante quantitatem; siquidem est idem realiter cum materia, quæ est substantia, & præcedit quantitatem.

Confirmatur: illud quod est ratio causæ in causando non potest habere esse à causato, quia tunc causa, in quantum sufficiens, & apta ad causando produceretur à causato, & sic causarum esset causa summe ipsius causæ in quantum illud causat, quod implicat evidenter: sed ista signatio, & capacitas materiæ primæ est ratio necessaria in materia ad causando postea quantitatem in materia ipsa per eos; ergo signatio, & capacitas quantitatis in materia non potest provenire, neque causari à quantitate, quia quantitas quæ ponitur causa signationis esset causata à signatione simul cum materia.

Vergetur, & quæro quid sit quantitatem causa-96 re hanc signationem in materia, vel non est causare aliquid, quod præfuit in materia, & tunc non causatur à quantitate; si enim præfuit ante quantitatem, quomodo causatur ab illa: ergo erit aliquid posterius; sed hoc est impossibile, quia deberet causari à quantitate in genere causæ efficientis; at quantitas non est forma activa præter ea tum prius inesse accidens, scilicet quantitas ipsi individua, quam esset individuum, quod est contra ipsos. Deinde quia hæc quantitas quæ materia est signata; vel est terminata, vel interminata; non terminata, quia illa sequitur esse formæ in materia, & consequenter consequitur singularitatem in substantia; neque interminata, quia illa manet eadem in generato & corrupto.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

Ad loca Aristotelis, & D. Thomæ adducta 97 Ab Adversariis respondeo, dixisse illos materiam signatam esse principium individuationis quoad nos, & à posteriori, quia per hanc materiam signatam quantitate, & accidentibus venimus nos in cognitionem individuationis, & distinctionis huius individui à quolibet alio, quia visa tali materia ut sic signata quantitate, & accidentibus colligimus dati in illa formam, quæ sit radix propria individuationis; hanc explicationem tradidit expresse D. Thomas *opusc. 32. de natura materiæ*; & dimensionibus indeterminatis, quæ se, & Aristotelem explicuit *cap. 5.* his verbis. [Ex hac materia prima, & ex hac forma fit individuum substantiæ; non tamen est hic, & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis, & ideo dicitur materia sub certis dimensionibus causa individuationis, non quod dimensiones causent individuum, cum accidens non causet suum subiectum; sed quia per dimensiones certas demonstratur individuum hic, & nunc, sicut per signum proprium individui, & inseparabile] sic ille, quibus potissimas nostrarum conclusio-
num

num rationes reddit, & nostrae sententiae veritatem aperte, & expresse tucur, & idem indicat *opusc. 29. de principio individuationis*, unde quando alijs locis significat D. Thomas individuum addere accidentia supra naturam specificam, *ut prima pars, quest. 3. art. 3. & quodlibet 2. art. 4. & quest. 2. de verit. art. 6. ad primum*. Exponendus est in ordine ad nostram cognitionem regulatam sensibus; accidentia enim quae sunt in materia prima huius individui distincta ab accidentibus alterius individui, & separata loco ab illis, sunt signum evidens sensibile, quo nos à posteriori distinguimus unum ab alio, non ex eo quod sit id, in quo ex se intrinsece, & essentialiter distinguitur, ut ipse D. Thomas alijs in locis non solum explicuisset, sed etiam optima ratione probasse videtur, videlicet quia accidens non causat suum obiectum substantiale, quia posterius non causat quod est prius, alias prius dependeret à posteriori, quod est contra axioma receptum.

58 Vergetur hoc ex ipso D. Thoma, 1. p. q. 29. art. 1. & q. 9. de potent. art. 1. ad 8. ubi ait, substantiam individuum esse per seipsum, & per propria principia; ergo exponendus est necessario tam D. Thomas, quam Aristoteles, vel quoad nostram cognitionem, vel quoad occasionem, quam praebent productioni talis individui substantiae: haec explicatio tucur, ac defenditur à Patre Suarez his verbis, quibus non solum docet nos circa mentem Aristotelis, & D. Thomae, sed etiam recte respondet rationi Adversariorum posita supra, collataque ex verbis Aristotelis; verba Patris Suarez sic se habent; quod vero ad Aristotelem attinet, non videtur inquam ex professo, & metaphysice principium hoc investigasse, & declarasse, sed solum ex sensibilibus physico more docuisse unum individuum materiale ab alio distinguere, quod vero inde intulerunt dicti auctores in substantijs materialibus non esse multiplicationem individuum in eadem specie; hunc potest ad summum habere probabilem sensum, scilicet non habere nos rationes, & principia ad distinguendas spirituales substantias numero distinctas, quas habemus in materialibus, & corporeis; imo multi hoc extendunt, etiam ad materiales substantias incorruptibiles, in quibus etiam non habemus tot principia ad cognoscendam, & ponendam in eis numericam distinctionem, quot habemus in substantijs corruptibilibus, de quibus maxime procedunt omnia, quae dicta sunt. Denique quod Aristoteles dixit in 1. de celo, non posse esse alium mundum, praeter hunc, quia in hoc est tota materia, videtur certe intellexisse aut Deum creasse mundum ex materia, nec posse materiam ipsam creare, aut Deum agere ex necessitate naturae, & ideo non posse plus materiae creare, quam creavit; vel certe ita esse Deum determinatum in suo modo agendi, ut nullam substantiam integram, & materialem possit in tempore ex nihilo condere; itaque ex illa sententia solum ad praesens colligitur ex mente Aristotelis materiales substantias non multiplicari, nisi ex materia; quidquid venerit de mente horum auctorum constat ex hac sententia sic declarata, non esse nobis traditum, & internum principium distinctae individualis, etiam in rebus materialibus, nam argumenta facta contra hanc sententiam alijs modis expositam plane concludant non posse materiam signatam esse principium individuationis.

Ad secundum ex ratione desumptum concedo 99 maiorem loquendo de adequato principio, ut ex supradictis in notabili, & ex infra dicendis in *quaestione sequenti*, patet; nego minorem; ad probationem minoris nego antecedens, & ratio evidens est, quia quod sit res recepta, vel irrecepta in alio non conducit ad limitationem, determinationem, & individuationem rei; nam materia prima est irrecepta in alio, & nihilominus est determinata, & limitata in sua entitate, quantitas est contra est recepta in materia prima, & nihilominus est individua, imo principium individuationis in vestra sententia, & in quam ultimo resolvitur individuatione substantiarum materialium. Item anima rationalis est haec, & individua ex se, & non dependenter à materia, aut à quantitate, quia cum anima rationalis tam in essentia, quam in individuatione, existens, ac subsistens sit quaedam entitas spiritualis, & perfecta, non potest ullo modo dependere ab entitate corporea, & materiali, ut est materia signata quantitate, alias in sua productione posset etiam dependere à materia, unde educeretur, & non crearetur quod falsissimum est in Philosophia, & temerarium in fide; omnes enim tam Theologi, quam catholici Philosophi asserunt, animam rationalem nec in sua existentia, nec in sua conservatione, ac tandem nec in sua productione posse dependere à materia prima, & accidentibus corporeis, quia anima rationalis est entitas substantialis, perfecta, & spiritualis, quae propter suam perfectionem petit ut sit immortalis, & incorruptibilis, ac per consequens petit propter easdem rationes omnimodam independentiam à materia, sed etiam anima rationalis est substantia spiritualis, perfecta, immortalis, & incorruptibilis secundum fidem catholicam (ita ut contrarium asserere sit haeresis manifesta) in ratione individuationis, quae identificatur cum ipsa essentia animae rationalis; ergo in ratione individuationis necessario dedit esse omnino independens à materia prima signata quantitate, alias esset corruptibilis, & mortalis secundum individuationem; unde erit mortalis secundum totam suam entitatem, quia individuatione identificatur realiter per vos cum essentia, & entitate animae rationalis, ne enim hoc absurdum sequatur, dicendum est animam rationalem minime individuari à materia prima signata quantitate, ut dicebatur in probatione minoris illius syllogismi Adversariorum, unde non limitatur, nec individuatur à receptivo illius, ut dicitur in probatione minoris ab adversarijs, sed à se, & nihilominus habet esse receptum in materia prima. Item totum suppositum Angeli constans ex suppositualitate, & natura Angelica est esse irreceptum, quia nec recipitur, nec potest recipi in alio, & nihilominus est maxime individuum determinatum, & limitatum, quod etiam clarius patet in humanitate Christi Domini, quae habet esse irreceptum, minime enim recipitur illa humanitas in Verbo divino; alias Verbum divinum esset potentia receptiva, quod est falsissimum, quia potentia receptiva dicit imperfectionem incompatibilem cum summa actualitate, & perfectione divinae illius, ac incomprehensibilis Maestatis; unde omnes orthodoxi Patres universis in Concilijs ac symbolis, ubi agitur de unione hypostatica naturae divinae ad humanitatem, constanter asserunt Verbum divinum solum terminare naturam illam humanam, ac proinde illam habere esse

esse irreceptum in Verbo divino, de qua ut sic quis poterit negare esse individuum determinatam, & limitatam substantiam: ergo ex his omnibus evidenter colligitur esse receptum, vel irreceptum impertinenter se habere ad individuationem, vel limitationem alicuius.

100 Ad tertium argumentum respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, quia potius actus est radix incommunicabilitatis, nam ut est in communi proloquio, actus est, qui distinguit; unde D. Thomas *contra Gentes*, cap. 40. ex professo probat materiam primam non esse primam causam distinctionis rerum, & quamvis de distinctione essentiali precipue loqui intendat, rationes tamen eius etiam de distinctione numerica agere videntur, praesertim quod in secunda ratione inquit, formam non sequi dispositionem materiae sicut primam causam: sed magis est converso materiam sic disponi, ut sequatur talis forma. Item quod ibidem ait ea, quae reducuntur in materiam, sicut in primam causam esse praeter intentionem agentis, & casu fieri: si ergo materia esset prima causa ob quam esset tale individuum distinctum ab alio, individuum ut sic casu fieret, & praeter intentionem agentis, quod magis explicans, ait in quarta ratione, vnam materiam indigere alio à se distincto, ut distinguatur ab alia materia; quibus manifeste probat S. Thomas, materiam primam minime esse primam causam distinctionis, ac proinde nec incommunicabilitatis; quia cum ipsa materia communicabilis sit adhuc signata quantitate non solum multis numero distinctis, sed etiam genere, & specie ut respectu hominis, & cadaveris, & respectu formae alimentis, & aliti, nam ut experientia evidenter demonstrat, vna, & eadem forma materia est commune subiectum respectu omnium illarum formarum; unde communicatur multis; sola autem forma cum sit propria huius individui determinatur ad hoc individuum potius, quam ad aliud ex se, & propria singularitate, quae non distinguitur à propria entitate; unde cum forma sit principium distinctionis, sic etiam est principium incommunicabilitatis, quae consistit in hoc ut forma, quae unius individui est, non possit esse alterius, nec naturaliter, nec supernaturaliter, quod aliter evenit in materia prima cum materia, quae nunc componit hoc individuum supernaturaliter, possit esse simul duorum individuum, ut si eadem materia numero per potentiam Dei absolutam informaretur forma hominis, & forma leonis, & naturaliter est successive duorum individuum, non solum numero, sed etiam specie diversorum, ut sunt homo, & cadaver; quapropter absolute communicabilis multis dicenda est materia prima, licet oppositum equivocationibus, & fallacijs contendat adversarij tertio suo argumento (quod nunc solvere contendimus) probare, nam si quis recte consideret, ut his verbis Magnus Suarez advertit, aperta equivocatio in eo d. scilicet committitur, cum enim dicitur materiam esse principium incommunicabilitatis individui, eo quod ipsa sit primum subiectum de se maxime incommunicabile; aut illa vox incommunicabile equivoco sumitur, aut falsum in probatione assumitur: multis enim modis intelligi potest, materiam esse incommunicabilem, primo quod sit incommunicabilis alicui ut subiecto physico, quod informat, vel cui inhaereat, & hic sensus est ve-

rissimus, & recte ex eo probatur; quod materia sit primum subiectum, hoc tamen est impertinens ad rem, de qua agimus; tum quia non est de ratione individui ut sic, quod sit incommunicabile alteri ut subiecto; nam accidentia sunt individua, licet communicentur hoc modo, & formae etiam substantiales; tum etiam, quia illa incommunicabilitas non sufficit ad rationem individui; materia enim ex vi suae speciei, est illo modo incommunicabilis, & tamen non est individua illi speciei, sed communis multis materijs numero differentibus: non est ergo illa incommunicabilitas prima radix individuationis etiam in ipsa materia: multo ergo minus poterit materia esse primum principium individuationis substantiae ratione huius incommunicabilitatis; alio ergo modo potest dici materia incommunicabilis, vel per modum causae, vel per modum partis, vel per modum naturae supposito, vel per modum superioris de inferioribus, & omnes isti modi falsi sunt; nam materia communicatur formae eo modo quo est causa eius, & sustentat illam. Item materia communicatur composito, ut pars toti, & ut causa etiam effectui, quem non aliter causat, quam communicando illi intrinsece suam entitatem. Item materia ut pars naturae communicatur supposito proprio tantum, si naturaliter loquamur. Supernaturaliter vero etiam alieno, ut in Christi humanitate videre licet; ultimus vero modus in quo solo terminari in praedicta ratione assumpti vii voce sumerentur, est aperte falsus, ut ratione supra facta convincitur; quia materia ut sic ex vi suae speciei communicabilis est multis inferioribus, quae illi possunt subijci in ordine ad praedicationem, quamvis non possint esse subiecta inhaesionis.

Quod si dicas, materiam ut sic esse communem, materiam autem signatam, de qua illa sententia loquitur esse incommunicabilem.

Contra hoc est, quia materia signata, quidquid illa sit, non habet quod sit incommunicabilis ex ratione primi subiecti, in qua dictum argumentum fundabatur; si ergo materia signata, est incommunicabilis, erit ob aliam causam, quae communis esse poterit formis, vel alijs rebus, ut videbimus in sequentibus, quo circa ad illam incommunicabilitatem, quae est de ratione individui, impertinens est illa ratio subiecti; nam & formae Angelicae & Deus ipse sunt illo modo incommunicabiles, quamvis sint omnino actus, & non potentia; unde cum ibidem dicitur forma de se communicabilis, etiam extra propositum est; nam forma ut forma est communicabilis materiae ut subiecto, non ut inferiori secundum suam etiam specificam rationem communicabilis erit distinctis formis, & ideo secundum eam rationem non est individua, tamen haec forma tam incommunicabilis est, sicut haec materia: ergo quoad hoc non est maior ratio de vna, quam de alia; quibus aperte solum manet tertium illud argumentum.

Ad secundam probationem minoris quoad secundam partem illius concedo maiorem, & nego minorem, quia nec per materiam habet, quod sit individuum in se, nec per quantitatem quod sit divisum à quolibet alio; formaliter enim habet individuum individuationem in se, & ex vi negationis sequitur ad ens; quod vero dicitur unitatem numeralem esse materialem, & non formalem; accipiendum est non physice, sed logically; nam singularitas animi rationalis est forma-

Quæst. IV. Vtrum materia prima, &c. 305

lis physice, & non materialis; logico autem instructo singularitas est valde per accidens, quia nihil addit substantialiter perfectius speciei; quo in sensu singularitas dicitur accidentalis, non physice, sed logice; & in eodem sensu dicitur materialis; quia idem sonat materiale: & pe sæpius quod per accidens; non autem vocatur talis quia sumatur à materia.

Deinde divisionem ab alio entitativam, & substantialem non potest habere individuum à quantitate, quia quantitas supponit iam distinctionem seu divisionem in suo subiecto; unde solum divisionem, seu distinctionem, quantitativam, & accidentalem. Quod vero assertit Capreolus ex Aristotele asserente quantum est, quod dividi potest in ea; quorum unumquodque hoc aliud natum est esse non est ad rem, quia Aristoteles tantum vult quantum ratione quantitatis esse aptum ut dividatur in plura composita distincta adæquate, lignum enim bipedale est unum compositum actu; potentia vero plura, in qua potest dissecari, quæ divisio physica oritur à quantitate, quia licet materia prima sit divisibilis, non potest tamen actu dividi ab agente materiali, nisi quantitate afficiatur; nam instrumentum, quo dividenda esset, eadem penetraretur, cum & materia sit impenetrabilis per quantitatem, ita & per eandem est divisibilis ab agente materiali; hoc autem voluit Aristoteles, de quo interrogo à Capreolo quid utilitatis suæ sententiæ afferat, & quid nocumens, aut detrimenti nostræ, certe nihil, quia Aristoteles solum ibi agit de divisione physica; nos autem agimus de distinctione entitativa, & metaphysica: ergo non ad rem loquitur Capreolus, & adducit contra nos Aristotelem.

104 Ad quantum negandum est Antecedens; Deus enim ut suppono ex physice est potissima causa, quare hic, & nunc ab hoc agente, & ab hac materia hæc potius forma, quam illa educatur, & sic hoc potius individuum, quam aliud producat.

QVÆSTIO IV.

Unum materia prima signata quantitate, ita sit principium individuationis, ut non solum per ordinem ad quantitatem, sed per ipsam formaliter sit principium individuationis?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

105 **C**APREOLUS in 2. dist. q. 1. art. 1. conclusionem, & articulum 2. in responsione ad argumentum contra illam, asserendo nihil aliud esse, quam materiam cum quantitate, seu quantitate affectam; ex his enim duobus censet hoc principium individuationis quasi integrari, ita ut materia det incommunicabilitatem, quantitas autem formalis, qua materia afficitur, distinctionem. R. P. Ildaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

nem: hanc explicationem sequuntur etiam Ferrata 2. contra Genes. cap. 2. 2. & Sonzinas, lib. 7. quæst. 34. favet D. Thomas q. 2. de veritat. art. 6. ad 2. & q. 16. de maiori. art. 1. ad 18. & super Boetium de Trin. & alibi.

Magister Bannes lib. 1. de generat. q. 3. art. 8. dist. 2. per materiam signatam quantitate intelligit materiam aff. Etiam ipsa quantitate, non quidem ut quantitas sit comprincipium cum materia individuationis, sed potius ut sit conditio sine qua non materia esset principium individuationis, & ita principium formaliter est sola materia prima; quantitas autem est requisitum vel conditio ad hoc, ut talis materia sit principium, quia illa non causat individuationem rei substantialis, nisi ut unita formæ, & non est unita, nisi cum hac quantitate, tanquam dispositione concomitante; unde hæc determinata quantitas erit potius conditio requisita sine qua non comprincipium individuationis rei substantialis, & licet tam varie sentiant Thomistæ de hac materia signata, nihilominus omnes consentiunt, ingenueque fatentur illam esse principium individuationis; quorum sententia probatur.

Primo, si materia signata quantitate non esset principium intrinsecum individuationis substantiæ corporeæ completæ, illud esset hæcceitas, ut vult Scotus, vel forma substantialis ut alij; sed neque hæcceitas, neque forma substantialis possunt esse principium intrinsecum individuationis substantiæ corporeæ completæ: ergo non hæcceitas; quia in primis Scotus, qui primus illam invenit in scholas, intelligit per hæcceitatem differentiam individuaalem ex natura rei distinctam à natura, quam terminat, & constituit singularem; sed differentia ex natura rei distincta à natura specifica, est impossibilis, ut late à nobis probatum manet in Dialectica: ergo. Item ideo Scotus existimat per hæcceitatem naturas constitui singulares, & individuas, quia putat naturas ex se esse universales, fieri vero singulares per hæcceitatem; sed falsum est, naturas ex se esse universales, vel habere statum aliquem medium extra animam, in quo sint universales, vel præscindant ab universalitate, & singularitate, ut ex dictis late in Logica patet: ergo. Tandem secundum eundem Scotum naturæ sunt singulares per hæcceitatem, quia ex se sunt indifferentes ad universalitatem, & singularitatem; sed hæcceitas, etiam est indifferens ad singularitatem, & universalitatem; potest enim abstrahi ratio aliqua communis hæcceitatis ab hac, & illa hæcceitate: ergo fiet singularis per aliam hæcceitatem, & sic procedetur in infinitum, vel saltem necessario dicendum est, tam insufficientem esse hæcceitatem ad individuas naturas communes, quam ipsas naturas communes, ut à seipsis individuentur.

Denique neque potest esse forma substantialis principium individuationis, quia principium individuationis est principium incommunicabilitatis individui in pluribus, tanquam in subiectis; sed forma non est principium huius incommunicabilitatis, quia ex se est communicabilis alteri ut subiecto: ergo.

Secundo, quia individuum est primum subiectum in metaphysica coordinatione; de illa enim omnia superiora prædicantur, & ipsum non de alijs: ergo primum principium, & fundamentum individui ut sic esse debet illud, quod est primum subiectum.

Qq